

D. Gerhanli Titij Dogmatica.

GERHARDI TITII,

SS. THEOL. D. ET PROF. IN
ACAD. HELMSTAD.CONTINVATIO
RESPONSI

IOHANNIS VORSTII

EPISTOLÆ

POSTERIORI

hâc vice
REDDITA.

Quâ

Controversia de manducatione corporis & bibi-
tione sanguinis Christi quæ ore fiat; an videlicet hanc ita fie-
ri, & faciendam esse creditu ad salutem sit necessarium? IOHAN-
NE VORSTIO ita præunte cum primis excutitur; tum argumenta po-
tiora, quæ è Patrum dictis contrâ oralem corporis Christi manducatio-
nem in verbosa Dissertationum Compilatione contorserat, & ex eâ de-
promta in hanc epistolam congesserat, refelluntur, simul et-
iam alia plurima Patrum loca ab ejus cavillatio-
nibus vindicantur.

AD

ILLUSTREM VIRVM

JO. ADOLPHVM KIELMANNVM
à KIELMANSECKEN.

✻ (o) ✻

HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excudit HENNINGVS MVLLERVS, Acad. Typ.

MDCCLXXIV.

GERARDVS TITIVS

Per anagramma

GRATVS ERVDITIS.

Ephymis.



Optimè sanctam DOMINI tuetur
TITIVS cœnam; Procul hinc profani
Ite! Nam frustra fidei repugnat
Mentis acumen.

Maximè GRATVS fuit ERVDITIS
TITIVS, vires quòd apostatarum,
Fregerit. Cessa *bene docte* VORSTI
Falsa tueri.

Admodum Reverendo

DN.D. TITIO,

Præceptorì optimè merito

L.M.Q.

consecrabit

I. G. W.



GERHARDI TITII D.
RESPONSVM
IOHANNIS VORSTII
CALVINIANI
ALTERI AD SE PERSCRIPTÆ
EPISTOLÆ
REDDITVM.

EPISTOLÆ tuæ prioris longos logos examinavi jam ut vides, mi Iohannes Vorsti, eosque quantumcunque in illis veritati reluctabaris, omni bonâ ratione cassos esse, satis abundè ostendi. Accedo nunc ad executiendam alteram tuam epistolam, & ipsam non parùm verbosam, in quâ quæ pertractanda tibi sis sumpturus, dicis ipse ferè duum esse generum. Quorum priora ad syllogismum quendam Warneri pertineant, quem tu minus probum esse scripseris: posteriora verò ad Controversiam de manducatione corporis & bibitione sanguinis Christi quæ ore fiat, an videlicet hanc ita fieri, atque faciendam esse, creditu ad salutem sit necessarium? Interfita etiam, ais, esse nonnulla, de Doctorum Ecclesiæ veterum mente, quod scilicet & hî corpus Christi ore manducari, & sanguinem ejus ore bibi crediderint pag 4.

II. Primò autem de syllogismo Warneri tibi videndum existimas, qui quidem ut latine à te versus, sic habet: Quicquid Christus in sacrâ Coenâ ore corporis manducare ac bibere jubet, illud ibidem verè secundum substantiam vult præsens sistere. Iam verò illud, quod Christus in sacrâ Coenâ ore corporis

inducare & bibere iubet, est corpus & sanguis eius. Ergo corpus & sanguinem suum verè secundum substantiam ipsam vult præsentia sistere : Super hoc igitur syllogismo, dicis dubitasse te, cuiusnam figuræ, & cuiusmodi habendus ille esset, utrum primæ, an terciæ figuræ : & si terciæ, utrum modi Darapti, an verò Datifi. Corpus & sanguinem Christi posita quidem in propositione minore postremo loco vidisse : verum, quod scires, corpus & sanguinem Christi non universalia, sed singularia atque individua esse, suspicatum ferè, etsi postremo loco posita illa essent, habenda tamen eadem pro enunciationis subiecto esse. Deinde, si figuræ terciæ syllogismus Warneri habendus esset, dubitandum tamen esse, utrum modi Darapti, an verò modi Datifi Warnerus esse illum vellet, quod idem ille signa, ex quibus id intelligi posset, non apposuisset. Hic igitur pergis tuam operam mihi commodandam putasti. Verba tua in pag. 91. proximaque sequente libelli tui, sic habent. pag. 5. Et cum ea recitasses, ad me conversus, tuâ igitur operâ, inquis, mentem Warneri planissimè jam teneo; videlicet, quod propositio minor syllogismi Warneriani habenda sit pro universalis. Ergo repetamus jam illum. Et repetis continuo integrum. Addis porro; Ipse Warnerus in conclusione pro casibus rectis obliquos posuerat hoc modo; Ergo corpus & sanguinem suum Christus verè secundum substantiam vult præsentia sistere. Verum facile intelligitur, obliquos casus sic ut ego feci, in rectos mutandos esse, ut forma syllogismi prorsus expressa appareat; imò aliquid adhuc amplius requiritur; videlicet ut conclusioni syllogismi signum particularitatis adijciatur hoc modo: Ergo aliquod corpus Christi, & aliquis sanguis Christi sunt illa, quæ Christus in sacrâ Coenâ verè secundum substantiam vult præsentia sistere. Sciscunt enim Logici, conclusionem syllogismorum terciæ figuræ semper particularem esse oportere. Iam si vocabula Corpus & sanguis, quæ propositionis minoris constituunt prædicatum, notionem signi simul exprimerent (quale quid non rarò fieri, in pag. 95. superioris epistolæ; itemque in Capite decimo libri primi, &

Capit.

Capitibus postremis libri tertij, dissertationum sacrarum docui) ac deinde in ipsâ quoque conclusione idem fieret: neque propositionem minorem, neque ipsam conclusionem ego negarem, sed, ut loqui amant, faciliè totum argumentum concederem. Pag. 6. 7. 8. — Verum facile intelligitur, te & Warnerum nolle ita rem accipi (& omninò nolumus) sed vocabula corpus & sanguis velle sic accipi, ut notio signi prorsus hinc excludatur. Pag. 9. Quoniam ergò ita vultis, cogitandum vobis propono, quot incommodis atque vitijs vester ille syllogismus urgeatur. pag. 10. Propone mi Johannes, cogitabimus, noster ille syllogismus, an tuum illud proponere, vitijs atque incommodis laboret.

III. Primum incommodum tibi est, quod vocabula corpus & sanguis Christi, ad constituendum propositionis minoris prædicatum minus apta sint. Quod prædicatum minoris constituat, ais, id universale & prædicabile esse oportet. At corpus & sanguis Christi, universalis atque prædicabilia non sunt, sed sunt singularia atque individua. Voces corpus & sanguis solæ quidem ac separata universalis & prædicabilia notant: at corpus & sanguis Christi, non universalis, & prædicabilia, sed singularia & individua sunt, non minus quàm Christus quoque ipse, singulare ac individuum est. Ob eandem quoque causam, quod videlicet corpus & sanguis Christi non universalis & prædicabilia, sed singularia & individua sunt, eadem illa nec subiectum in conclusionibus syllogismorum tertiæ figuræ constituere possunt. Quippe conclusiones syllogismorum tertiæ figuræ, signum particularitatis aliquis vel quidam, sibi adjectum habere oportet: id quod individuis & singularibus minus commodè adijcitur. Quàm inconcinne igitur se habet hic syllogismus: Omnis qui pro Warnero Freund contrà Vorstium scripsit, est vir apprimè doctus. Omnis qui pro Warnero Freund contrà Vorstium scripsit, est Gerhardus Titius. Ergo aliquis Gerhardus Titius est vir apprimè doctus; quàm inconcinne inquam se habet, hic syllogismus: ita inconcinne itidem se habet syllogismus Warneri, Omne quod Chri-

ffus in sacrâ Coenâ ore corporis manducare & bibere jubet, id ibidem vult præsens sistere. Omne illud quod Christus in sacrâ Coenâ ore corporis manducare & bibere jubet, est corpus & sanguis Christi, ergo aliquid corpus Christi & aliquis sanguis Christi sunt ista, quæ Christus in sacrâ Coenâ vult præsencia sistere. *In syllogismo priore* Gerhardus Titius, quia non universale & prædicabile, sed singulare & individuum est, ad constituendum propositionis minoris prædicatum, itemq; ad constituendâ conclusionis subiectum minus aptus est. Quàm inepta enim propositio illa minor est; Omnis qui pro Warnero Freund contra V. scripsit est Gerhardus Titius ! Quàm inepta item est conclusio illa. Aliquis Gerhardus Titius est vir apprime doctus ! Gerhardus Titius, quia individuum est, non potest enunciationis esse prædicatum, sed oportet ut enunciationis sit subiectum. Deinde, si conclusionis sit subiectum, non potest signum particularitatis Aliquis, aut simile propter se, & sibi præmissum habere. Pari modo inconcinna sunt propositio minor & conclusio syllogismi Warneriani, quæ quidem sic habent, Omne quod Christus in sacrâ Coenâ ore corporis manducare & bibere iussit, est corpus & sanguis Christi, & Aliquod corpus Christi, & aliquis sanguis Christi sunt ista, quæ Christus in sacrâ Coenâ vult præsencia sistere. Quæ enim propositionis minoris prædicatum, itemque conclusionis subiectum hîc constituunt corpus & sanguis Christi puta, ea ipsa non universalalia & prædicabilia, sed singularia atque individua sunt. Ita tu verbosè pag. 10. 11. 12. 13. cum tribus verbis te expedire potuisses, dicendo, in propositione minore syllogismi Warneriani, prædicari terminum singularem, quod fieri non possit, & subiecto conclusionis quod hîc iterum sit terminus singularis, præfigi signum aliquis, cum terminus singularis nullum signum propter se & sibi præmissum ferre possit.

IV. Quæ verò causa est Johannes Vorstl, quod terminus

nus

mus singularis planè nequeat prædicari, & *inconcinna* tibi statim sit propositio aliqua, in quâ ille prædicetur? Quare talis prædicandi ratio ab usu loquendi *prorsus* sit remota? Ipse Aristoteles, quem nemo nisi *sciolus* numero τῶν ᾠκλήτων exmerit, non dubitavit ejusmodi propositionibus uti, quando Prior. cap. xxvii. editionis Pacianæ, scribit; *dicimus nonnunquam, hoc album esse Socratem, illud quod accedit, esse Calliam.* Hæc exempla Philosophus affert, quorum similia plura dari posse non est cur dubitemus. Ita minimè inconcinne dixeris, Hoc album est I. Vorstius, ille qui adversus Titium longas epistolas scribit, est I. Vorstius. Et per ego cupiam videre, quo jure quis culpæ velit hunc Syllogismum: Illud quod accedit movetur, illud quod accedit est Callias, Ergo quidam qui est Callias movetur. Possent hic exempla propositionum non pauca ex ipsa sacra scriptura confici, in quibus singulare liceat loco prædicati adhibere. Genesios xxvii. 32. *dixit Isaac Pater filio Esau, quis es? ait ille, ego sum filius tuus primogenitus Esau.* Quid prohibuisset, alium hanc responsum intelliã personâ sic extulisse; Hic homo quem tu interrogas, est Esau &c? Rursus, Genesios xlv. 4. *dicit Iosephus fratribus suis, ego sum Ioseph frater vester &c.* Quid prohibuisset, alium e Pharaonis ministris Iosephum fratribus suis monstraturum, dixisse; *Hic vir, est Ioseph frater vester?* Christo in nuptijs in Cana ad mensam assidente, quidni dici potuisset; Hic qui ibi sedet ordine primus, est Iesus Nazarenus. Quin imò Matth. xxi. 11. *turba dicebat, iste est Iesus, ille Propheta à Nazareth.* Sicut autem hæc omnia apertissime dici apertum est, ita porro illis qui *Logicæ rudimenta deposuerunt*, constat, super ejusmodi propositione singulari, Hic homo qui ibi assidet est Iesus Nazarenus, Hic vir est Ioseph frater vester, Hic vir, hic novus Logicus est I. Vorstius, fundari continuo posse propositionem particularem, & pari concinnitate simul & veritate dici;

Quidam

Quidam homo & c. est Iesus Nazarenus, Q. vir est Ioseph frater minimus reliquorum. Q. vir, quidam novus Logicus, est Ioh. Vorstius. Q. qui è longinquo accedit, est Callias. Hæc attentius non nihil si considerasses Iohannes *apprimè doctè*, comperis-
 isse puto *ineptam* dictaturam, quod *individua non possint enun-
 ciationis esse prædicatum*, quod prædicationes in quibus singula-
 ria seu individua prædicantur, *ineptæ, & ab usuloquendi prorsus
 sint remotæ*, ut alibi contendere non es veritus. Sed & denuò,
 & vehementer quidem ac turpiter à viâ aberras Iohannes,
 quando subiecto propositionis in quo est terminus singularis,
 nullâ ratione signum præfigi posse tibi persuades. Eliseram
 ego in libello meo nonnihil hanc manifestissimam absurdita-
 tem. Tu tamen meliora moneri indocilis, hic etiam defen-
 dere τὸ ἄτοπον conaris. Sed inquis, *inconcinnitati hujus conclusio-
 nis*, Ergo aliquod corpus Christi, & aliquis sanguis Christi,
 sunt ista, quæ Christus in Sacra Cœnâ secundum Substantiam
 vult præsentia sistere, *medelam adhibere te posse putas, si eam for-
 mes sic*: Ergò aliquid, quod est corpus Christi, & aliquid quod est
 sanguis Christi, sunt ista, quæ Christus in sacrâ Cœnâ secun-
 dum substantiam vult præsentia sistere. Nam in pag. 96. libel-
 li tui scribis sic: Doctissimus Warnerus ridebit hanc Vorstij
 sollicitudinem, & docebit eum rectè atque ita inferre: Ergò
 aliquod quod est corpus Christi, est id quod Christus in sa-
 crâ Cœnâ verè & secundum substantiam suam vult præsens
 sistere. Verùm siue voculæ quod est adijciantur, siue non adijcian-
 tur, corpus Christi tamen singulare & individuum est: quod signum
 particularitatis aliquid, penes se non patitur. Et perinde illud est, ac
 si alteri illi conclusioni Aliquis Gerhardus Titius, est vir appri-
 mè doctus, mederi sic velis, ut voculas qui est, adijcias, dicasque, A-
 liquis qui est Gerhardus Titius, est vir apprimè doctus. Quæ
 quidem enunciatio aequè inconcinna est, atque altera illa; neque voculæ,
 qui est, inconcinnitatem istam tollere aut emollire valent. Gerhardus
 Titius

Titius nihilo secius singulare atque individuum est, quod signum particularitatis aliquis, juxta se non patitur. pag. 13. 14.

V. Heus verò tu Iohannes demonstrator ! quid hoc quæso rationis est quod tu hic affers, si ve vocula quod est adjiciantur, si ve non adjiciantur, corpus Christi tamen singulare & individuum esse quod signum particularitatis aliquid, penes se non patitur ? An existimas, quia corpus Christi manet singulare atque individuum, etiam adjectis istis voculis quod est, idè nec subiecto propositionis, in quo terminus ille singularis, corpus Christi, ponitur, signum ulla ratione præfigi posse ? Si Logicam satis fideliter doctus esses, scires Iohannes, subiectum esse vel enunciativum, vel non-enunciativum. Posterius est, quando non complectitur aliquod verbum v. c. *animal sentit*. Hic *animal*, est subiectum non-enunciativum. Sed cum dico, *id quod sentit, est animal*, vel *id quod est animal, sentit*, subiectum est enunciativum. Complectitur enim aliquod verbum. Et vocatur enunciativum, quia in se includit enunciationem. Ut enim enunciatio constet ex subiecto, copulâ, & prædicato, ita etiam subiectum enunciativum includit subiectum, copulam & prædicatum, unde etiam facillè potest in enunciationem redigi. Ita si sumamus hoc exemplum : *O qui credit, salvatur*, subiectum dempto relativo *qui*, est integra hæc enunciatio, *homo credit*. Tale verò subiectum enunciativum, est etiam in nostrâ conclusione ; *Aliquid quod est corpus Christi, est id quod Christus in sacrâ Cænâ verè & secundum substantiam suam vult præsens sistere* ; ubi dempto relativo *quod*, & subiecto, quod in ipso signo subintelligitur, disertè expresso, emergit hæc integra enunciatio *Aliquid ens est corpus Christi*. In quâ, cum prior vox sit terminus communis, quid mirum si illi immediatè ac proximè signum, & revocato ac denuò adjecto relativo *quod*, ipsi tandem termino illi singulari *corpus Christi*, signum mediatè præfigi potuerit ? Quis sanæ mentis reprehendere audebit has in-

regas propositiones; aliquod (ens) quod est corpus Christi, est illud, quod Christus in sacrâ cœnâ verè & secundum substantiam suam vult præsens listere? Aliquis (homo) qui est Gerhardus Titius, iniquè sugillatur à I. Vorstio. Aliquis (homo) qui est Ioh. Vorstius, est ap-primè doctus Demonstrator? Hæc paulò penitiùs tecum confidera Iohannes, & agnosces, spero, te Warnerianam conclusionem immeritò & intempestivè reprehendisse; agnosces, te præcipitalle denuò sententiam, quando hîc non erubuisti scribere, ita satis & abunde jam caussarum apparere, quamobrem syllogismus Warneri probus & legitimus haberi nequeat. pag. 14. Scilicet, dico iterum, etsi subjecto non-enunciativo in propositionibus singularibus non possit rectè præfigi ullum signum, sicut non rectè dicitur: *Omnis Socrates fuit Philosophus. N. Alexander M. victus est à Dario. Q. Alexander M. fuit Philippi filius*, tamen subjecto enunciativo signum rectè præfigi contingit, ut dicere liceat: Quicumque est Socrates ille fuit Philosophus. Nullus qui Alexander M. est, victus est à Dario. Q. qui Alexander M. est, fuit filius Philippi. Videatur Willius in præcept. Logic. Peripat. pag. 129.

VI. *Sed sunt tamen, inquis porrò, & aliæ causæ, quamobrem idem syllogismus meritò sit repudiandus. Audiamus ergò & illas, & breviter examinemus. Propositio ejus minor pergis, omne id quod Christus in sacrâ Cœnâ ore corporis comedere & bibere iussit, est corpus & sanguis Christi, præterquam quod inconcinna atque inepta est, manifeste quoque est falsa.* pag. 15. De inconcinnitate hîc rationem nullam affers. Videris tamen inconcinna idèò vocare, quod in eâ terminus singularis prædicati locum teneat. Quin id disertè postea, pag. 24. exprimis, *ineptam esse propositionem illam, pertendens, quia locum prædicati teneant singularia seu individua corpus & sanguis Christi.* Quâ dere quid habendum sit, §. iv. à me est dictum. De falsitate, ego in libello meo jam occupaveram, & quomodo ex mente Warneri

ncii

neri eam intelligere deberes, commonstraveram. Ipse tu recitas hæc mea verba : *Vix enim Vorstium latere potuit, majorem Warneri sic intelligendam esse : Quicquid Christus in sacrâ cœnâ principaliter ore corporis edere & bibere jussit, hoc ipse vult in sacrâ cœnâ præsens sistere. Et tum minoris sensus ille fuerit, Quicquid Christus in sacrâ cœnâ principaliter ore corporis edere & bibere jussit, hoc est corpus & sanguis ejus, Ergo. Atque ita Pontificiis Transubstantiatoribus nihil feritur, nihil meretur (addam & reliqua) simul & Vorstij responsio, Warneri syllogismum nihilo magis læserit, quam pulicis idus læderet equitem cataphractum. Quid verò ad hæc, tu, mi Iohannes? Rides, & ut solent qui respondere non possunt, non-nihil uncis naribus indulges, ut est apud Poëtam. Egregiam verò medelam, ais, quam syllogismo Warneri adhibuisti. Habent se nunc omnia rectè, postquam tuum illud principaliter rursus expeditivisti. Magno usui tibi vox ista (verum dicis mi Vorsti) in universa tuâ contrâ me scriptione fuit. Ejus enim adjectione & meos syllogismos refutare, & verba quædam Chrysostomi dilucidare potuisti, & nunc ejusdem adjectione syllogismum Warneri potes vindicare pag. 17. Non profectò nihil intellexisti Iohannes, quando illud intellexisti, quàm varium una illa, voce principaliter contenta limitatio, mihi contra te usum præstare valuerit. Reflecte jam oculos ad Responsi mei prioris §. §. LIX. & LXXI. non procul à fine, ubi fundamentum hujus limitationis planè adamantinum substravi. Hoc itaque ipsum, quamdiu perstabit intactum, tamdiu & syllogismi tui erunt solidè refutati, & verba Chrysostomi tibi validè extorta, & Warneri quoque syllogismus satis abunde defensus. Placet tamen tibi paulò penitius rem inspicere atque cogitare, an usum tam multiplicem præstare una eademque vox possit ? Quod dixerim vix latere Vorstium potuisse, propositionem Warneri sic intelligendam esse, Quicquid Ch. in sacrâ Cœnâ principaliter ore corporis edere & bibere jussit, hoc ipse vult in sacrâ Cœnâ præsens sistere, conjecturam di-*

cis me fefellisse. Latuisse te *plavè* affirmas, *propositionem* Warneri sic intelligendam esse. Imo, audere te *sponsonem* facere, ipsi Warnero nunquam in mentem venisse, quod *propositioni* sua majori vocem principaliter, *adjectam* vellet, ut deinde *propositioni* quoque minori *adijci* eadem vox posset. pag. 17. Quod hic dicis, latuisse te *plavè*, *propositionem* Warneri sic intelligendam esse, id nos præstare non possumus. Tibi id imputes, quod verba Warneri non attentius expenderis. Tu quidem, etiam *sponsonem* audes facere, ipsi Warnero nunquam in mentem venisse, quod *propositioni* sua majori vocem principaliter *adjectam* vellet &c. quàm te verò insigniter tua illa audacia fallat, ita tibi statim ostendo. *Propositio* Warneri major hæc est: *Quicquid* Christus in sacrâ cœnâ ore corporis manducare ac bibere jubet, illud ibidem verè secundum substantiam vult (ipse) *præsens* sistere. Idiomate vernaculo Warnerus significanter & ita: Was Christus in dem heiligen Abendmahl gebeut mit dem Munde des Leibes zu essen vnd zu trincken/ dasselbe wil auch Christus warhafftig dem Wesen selbst nach / zu essen vnd trincken *zugegen* stellen. Hic nisi subintellectam in subjecto Warnerus voluisset vocem limitantem *principaliter*, apertissimè falsum prolocutus esset. Ecquis enim dixerit, Christum, ipsum etiam panem & vinum velle in actione sacræ Cœnæ præsentia sistere? Sicuti non suprâ facultatem nostram, ita nostræ quoque planè curæ est, panem & vinum huc afferre; nostra cura si hîc cessaverit, frustra profectò expectabimus, donec Christus ipse illa externa symbola calicis præsentia sistat. Dicam tibi, mi Iohannes, quid te hîc in errorem induxerit. Confudisti oscitanter, duas diversissimas locutiones; *Quicquid* in sacrâ cœnâ Christus nos jubet accipere & edere, illud IPSE Christus VULT præsens SISTERE, &, *Quicquid* in sacrâ cœnâ Christus nos jubet accipere, illud ibidem præsens (qualitercunque) SISTI, ibidem realiter præsens ESSE, hoc enim posteriore modo pag. 22. *propositionem* illam effers,

ubi

ubi *irrestrictam* etiam *satis veram* esse contendis, quod nec quisquam nostrum negabit. Vides ergo opinor, Iohannes, quam hic oseitantia tua te deceperit. Quæ eadem iterum tibi causâ fuit profusæ & inutilis illius loquacitatis, quâ pag. 18. 19. 20. 21. 22. 23. nos docere laboras, *limitationes & restrictiones propositionibus adhiberi solere, cum enunciationes ipsæ non nisi limitatæ ac restrictæ sint veræ*, pag. 20. Quæ quidem sapientiâ tuâ mihi minimè erat opus, qui limitationem adhibueram propositioni, quæ sine eâ additâ omninò falsa fuisset, quod tu non potueras perspicere. Et tamen non puduit te, etiam superciliosè in me, & ita invchi: *mirum profecto est, te tot jam annos in Academia exercitio disputatorio vacare, nec tamen observasse, quibusnam enunciationibus restrictio aut limitatio rectè adijciatur*. Nolo te hîc defricare Iohannes, quod, ut vides, possem. Parco tibi, nec volupe est illam incivilitatem ulcisci. Sed jam de ipsa voce limitante principaliter aliquid moves, an videlicet illa *propositioni majori rectè inferciatur?* ut loqueris. Et mea quidem opinio, inquis pro autoritate quâ polles, hæc est, *vocem principaliter, propositioni istorum syllogismorum majori ineptè inferciri*, pag. 20. — — Quod ipsum *satis ex eo intelligi posse putas, quod ipsis verbis Domini, Hoc* (quod accipere & comedere vos jubeo) est corpus meum, quibus propositionem illam minorem, si proba sit, niti oporteat, *vox principaliter adijci nullo modo possit. Cujus rei quæ sit causa, in superiore epistolâ non semel dixi; nimirum quia vox principaliter pronomen relativum HOC in verbis Domini non antecedit*. Vide sis mi Titi pag. 227. superioris epistolæ, pag. 24. Verum ad hæc non est ut verbulo hîc respondeam. Vide sis in vicem mi Iohannes, quæ responso superiore §. LIX. & §. LXXI. non longè à fine ego tibi reposui, & facile mihi tua deinceps parciùs obii-cere memineris. Quando ergo primus & secundus tuus in syllogismum Warnerianum impetus, ita, ut vides retortus, *de-* *levavit, apparebit tibi nunc etiam hoc, quàm falso tu ipse pag.*

25. scripseris, falsum esse, quod de syllogismo Warneriano ego iudicaverim, insuperabili illum robore suffultum esse.

VII. Porro permiscram ego tibi in libello meo, ut, si velles, syllogismum Warnerianum, quæ in tertiâ figurâ, ejusque modo Darapti confectum dixeram, construeres in modo Dati- si, & minorem faceres particularem, ita: *Aliquid quod Christus in sacrâ cœnâ ore corporis manducare ac bibere jubet, est corpus & sanguis ejus.* Cum enim hætenus minor fuisset universalis, vi subalternationis quam vocant, monueram facile fieri posse particularem. Idque monueram, non quod causâ meâ diffiderem, (quis enim in Logicis non planè hospes putet, illum causâ suâ diffidere, qui ex veritate subalternantis, colligit quoque veritatem subalternatæ?) sed ut imbecillitati tuæ, qui particularem malebas, consulerem. Verùm & hoc tibi displicet, & per plures paginas, illud impugnandum sumis. *Primò*, inquis, quod particularem hanc (paulò ante allatam) subalternatam putes istius universalis quam suprà formabas, planè falleris. Isti universali, ut monuisti, vocabulum principaliter adijciendum, atque ita restrictionem faciendam contendebas. Quare propositionis illius subalternata censeretur nequit illa particularis, nisi hæc itidem restringatur hoc modo: aliquid quod Christus in sacrâ cœnâ principaliter ore corporis edere ac bibere jubet, est corpus & sanguis Christi pag. 28. Nihil repugno mi Iohannes. Si in libello meo omiſsa est in minore particulariter conceptâ vox principaliter, non idè ego illam volui exclusam, sed maximè subintellectam, siquidem & ibi est necessaria, quoniam illud quod minus principaliter Christus nos edere iussit in sacrâ cœnâ, scilicet panis, non est corpus Christi, ut suprà à nobis evictum. Pergis autem: *Quia verò aves cognoscere, quid in propositione illâ particulari ego diffiderem, dicam sanè & hoc tibi.* Et dicis more tuo, hoc est, loquaciter à pag. 28. usque ad 34. Omnia autem quæ dicis, ad hæc duo recidunt. *Primò*, quod vocabulum principaliter æquè

incon-

incommodè ac præter rem particulari huic adijciatur, atque idem alteri illi universali adijci, suprà demonstraveris. Deinde, quia corpus & sanguis Christi, non universalia, sed singularia atque individua sunt, EXISTIMES tu, MINVS apta illa esse ad constituendum propositionis cujusdam syllogismi prædicatum, pag. 28. De priore iterum nihil respondeo. Vide loca Responsi mei prioris, ad quæ paulò ante provocavi. Si nuces illic objectas fregeris, erit mihi porro cogitandum. Deposteriore respondi §. præced. IV. Tu quidem hîc à pag. 28. usque ad pag. 34. inclusivè, verba fundis, & ipse pag. 29. effingis syllogismum, in cujus minore prædicatum est terminus singularis, eamque ineptam esse, me non inficiaturum puras, & idè de propositione syllogismi Warneriani concedendum mihi esse judicas, quod nimirum inconcinna atque inepta sit, habere enim & ipsam individua seu singularia pro prædicato, pag. 30. Cæterum nudis ejusmodi assertionibus, etiam centies repetitis dominantibus mi Iohannes, nemo nisi stultus accedere volet. Videris autem pag. 31. 32. rationem tuæ assertionis afferre velle. Enunciationis, ais ibi, Quidam homo est Plato, quam & Quidam ita formari dicunt, si quis sensus sit, oporteat illum hunc esse, Platonem esse hominem, vel esse illum aliquem hominem, vel esse illum inter homines. — Nec aliter propositionis syllogismi Warneriani, Aliquid quod Christus ore corporis edere jubet, est corpus Christi, si quis sensus esse possit, oporteat illum hunc esse corpus Christi esse illud, quod Christus in sacrâ cænâ ore corporis edere jussit, vel corpus Christi esse aliquid eorum, quæ Christus in sacrâ cænâ ore corporis edere jussit. Sed & hæc, quid aliud sunt, quàm cassâ & inania verba? quid hîc opus est angi mi Iohannes? Enunciationis Q. homo est Plato, annon satis planus & obvius est hîc sensus, Quidam inter homines est ille qui dicitur Plato? Etiam hujus? Quidam homo est Iesus Nazareus, nonne iterum planus & obvius sensus est hic, Quidam inter homines est ille, qui Iesus Nazarethâ oriundus vocatur? Et

itaque similiter, propositionis Warnerianæ sensus, cur non planus, aptus, & obuius, sit hic: Aliquid inter illa, quæ Christus in sacra cœnâ ore corporis edere iussit, esse ipsius sacrosanctum corpus? Principale scilicet inter illa, quæ Christus in sacra Cœnâ ore corporis nos edere iussit, est ipsius sacrosanctum corpus. Nihil hîc inepti, nihil ab usu loquendi prorsus remoti deprehendet, nisi ineptus ipse, & qui usum loquendi ad suum unius sensum & gustum præfractè metiatur. Subiicis porrò Prætorium edictum: *corpus Christi esse aliquid eorum, quæ Christus in sacra cœnâ ore corporis comedere iusserit* — planè falsum esse nec ulla loco scripturæ probari posse, quod sit corpus Christi illud, quod Christus ore corporis manducare iusserit. Credite Lutheriani, Iohannes Vorstius vir, ut scitis, apprime doctus hoc edicit! *Exstare quidem, pergis, in sacris literis, Accipite, edite, Hoc (quod accipere & edere vos jubeo) est corpus meum, verum ex hoc colligendum non esse, corpus Christi esse illud quod Christus ore corporis edere iusserit. Demonstratum enim à te esse in superiore epistola, quod Christus dixit Hoc (quod accipere & comedere vos jubeo) est corpus meum, id nihil aliud esse, quàm si dictum sit, Hic panis est corpus meum, & verba Quod accipere & comedere vos jubeo, quorum vim ac potestatem pronomen Hoc in se habeat, periphrasin esse panis.* pag. 33. 34. Et tum ipse denuò tibi velut crepitante siconia rostro applaudis; Et apparet iterum, quàm falso scripseris, quod scripsisti, syllogismum Warneri, in superabili prorsus robore suffultum esse. Ita nihil habebas, quod afferres, nisi repetitam in-scitiam suppositionis particulæ demonstratiuæ *Hoc*, & vanissimum roboris syllogismi Warneriani contemptum. In-scitiam illam tuam tibi exemi Responso ad superiorem epistolam §. XLIX. Robur insuperabile syllogismi Warneriani tanto nunc est conspectius, quanto minus valuerunt efficere frivola tuæ contra ipsum intortæ objectiones. Certè non magis illæ fregerunt ejus invictum robur, quàm scopulum in medio mari frangant assilientes procellæ.

IIX.

IIX. *Restat adhuc, ut ipse rotidem verbis indicas, contra-*
versa de pondere ac momento ejus fidei, quâ corpus & sanguinem Chri-
sti ore corporis manducari ac bibi, ego cum Warnero atque alijs credam.
Warnerus quidem satis disertè scripserat, pergis, prorsus necessari-
um ad salutem esse, ut corpus & sanguis Christi ore manducari ac bibi
credantur. Atque huic, ut apparet, tu, mi Titi astipularis, atque ita à
communi Præceptore, quem ipse tantoperè prædicas, quemque per omnia
videri vis sequi, & à plurimis item alijs partu Lutherana, ut se vo-
cant, Theologis, manifestò dissentis. pag. 35. Adducis statim Ca-
lixti quædam verba è Dissertatione quam (titulo è tunc elatus) scri-
ptis facientibus ad Colloquium Thoruniense subjecit. pag. 36. 37. Et
cum absolvises, ita me objurgas; At tu Gerharde Titi, cum War-
nero tuo prorsus aliter nunc sentis, putasque, illam de corpore Christi ore
manducando fidem ad salutem prorsus necessariam esse, nec posse ho-
minem salvari, nisi corpus & sanguinem Christi ore manducare & bi-
bere se putet. pag. 38. Hic cum Warneri sententiam recitas Jo-
hannes, semel iterumque uteris particulâ prorsus, Warnerum
illam de corpore Christi ore manducando &c. fidem, ad salu-
tem prorsus esse necessariam sentire. Ne itaque in voce prorsus
insidix fortè lateant, è re fuerit, ipsissima Warneri verba hic
repetere. Præfat. Homiliæ; Ist aber der Gebrauch des heiligen
Abendmahls/oder das Thun/was Christus uns bey der Einsetzung
des heiligen Abendmahls befohlen hat/nach der heiligen Tauffe zur
Seligkeit nöthig allen denen/die sich darzu prüfen vnd dessen hab-
hafte sein können/also daß sie nicht auß einer vnümbgänglichen noth
desselben beraubet werden/so ist gewis auch der rechte Glaube von
dem heiligen Abendmahl / allen denen so es gebrauchen / nöthig zur
Seligkeit/also das/wenns ihnen nur nicht an den Mitteln die War-
heit zu erkennen dur:h auß gebricht (welchen fall man billig bey dem
Glauben von dem heiligen Abendmahl unschädlich helt/gleich wie die
unvermeidliche Beraubung bey dem Gebrauch desselben für unschäd-
lich gehalten wird) sie nöthwendig müssen den rechten Glauben ha-
C
ben

Ben von dem / daranne das heilige Abendmahl hauptsächlich / oder als
 in seinen wesentlichen stücken bestehet / wofern es ihnen zur Seligs-
 keit gedeien soll / und nicht eine niedrige Wirkung haben. Ita qui-
 dem ibi Warnerus, cujus sententiam fateor iterum, me pro-
 bare & amplecti. Quod si in eo à Præceptore dissentiam, tu
 profectò minimè omnium id mihi vitio dare pores. Ipse enim
 totis castris ab ipso dissidere, ejusque sententias publicè, etsi
 non ineptè minus quàm temerè, impugnare non erubuisi, &
 Præceptor ille me nunquam ita sibi obstringere voluit, ut sen-
 tentias suas tanquam fallere nescias amplecterer, nec ullibi
 ego præ me tuli, quod vel illum vel alium quemquam, *per omnia*
sequi velim, ut tu, *repente Poëta* factus, fingis. Quinam autem
 sint Lutheranae partis illi *plurimi alij*, à quibus ego dissentiam, fa-
 teor sanè me latere, & tuum fuisset illos indicare. Quicunque
 autem illi sint, quos quidem ego suo sensu abundare patior; no-
 sti ipse Iohannes, auctoritate humanà neminem simpliciter ad
 assensum alicui sententiæ præbendum, teneri acquiescere. Vi-
 dere autem nunc vis, quasnam ita sentiendi causas nos, Warne-
 rus & ego, habeamus, & adscribis Warneri eadem verba, quæ ego
 jam repetivi. Tum subijcis: *Credidigitur, Warnerum collectum*
sic velle: si ipsum id corpus Christi ore edere, & sanguinem eius ore
bibere ad salutem necessarium sit, necessarium ad salutem esse, credere
quod ita fiat & faciendum sit, & quia verum sit prius, verum item esse
probatum. Et propositionem majorem quidem hujus collectionis, vide-
 debam concedere posse, quomodo & concedere possum, si lupus sentiat,
 ipsum animal esse. In epistolà ad W. F. igitur scripsi: *Facile intelligi-*
tur, si ipsum id ore corporis manducare & bibere corpus & sanguinem
Christi, necessarium sit ad salutem, necessarium item ad salutem esse, ut
credatur & pro vero habeatur id ita fieri. Hic verò multum lucratos
 Warnerus atque te putas, eaque propter in pag. 39. sic disseris. Et
 promissis mea verba, tum addis; *Per consequentiam quam concessisse*
me dicu, intelligis, credo, connexionem propositionis majoris. Et bacte-

mus quidem nihil erras, quod consequentiam i.e. connexionem propositionis majoris concessisse me putas. Quod deinde dicis, me non simpliciter negasse antecedens propositionis majoris, sensus est, credo, me non simpliciter negasse propositionem minorem, quæ hæc est: corpus Christi ore edere, & sanguinem ejus ore bibere, necessarium esse ad salutem. Verum in hoc falleris, Titi, quod propositionem illam minorem me non simpliciter negasse putas. An non simpliciter me negatam velle propositionem istam, intelligere satis poteras ex eo, quod probationem, quam Warnerus fecerat, nullius momenti esse demonstravi? Idque iterum iterumque dicis, propositionem illam minorem, te simpliciter negatam velle. pag. 39. 40. 41. 42. Verum mi Iohannes, antecedens propositionis Warnerianæ aliter tu, &, ut sic dicam, magis specificè formaveras, & nunc iterum formas, quæ fecerat Warnerus, nimirum formas illud ipsam ita; corpus Christi ore edere, & sanguinem ejus ore bibere, necessarium esse ad salutem. Hanc propositionem te negare, & negaturum esse, quomodo non intellexerim ego? Fallis autem tu ipse, qui hanc propositionem substituis Warnerianæ illi generali, Num ista aber der Gebrauch des heiligen Abendmahls / oder das Thun was Christus uns bey der Einsetzung des heiligen Abendmahls befohlen hat / nach der heiligen Tauffe zur Seligkeit nötig allen denen etc. Abstrahit Warnerus in argumento suo à speciebus comestionis, & nondum determinat, an comestio & bibitio sacramentalis fiat ore, an fide, sive propriè an impropriè, sed hoc tantum ostendere vult, utrum sit verum, id cognitu ad salutem esse necessarium, adeoque eos qui hîc errant, errare in re ad salutem necessariâ, quicunque demùm illi sint, sive simus nos Lutherani, credentes comestionem & bibitionem sacramentalem fieri ore, sive sitis vos Reformati, credentes illam fieri fide & non ore, ac proinde se, Warnerum, non in re levi, sed maximi momenti occupatum esse. Id quod cognoscere poteras ex eo, quod Warnerus illud argumentum, de quo nobis sermo est

propositurus, à sacrae Coenae naturâ ita generaliter orditur: Es ist traun keine schlechte Sache umb daß heilige Abendmahl. Et tunc subjiicit: Es ist ja daß Halten vnd Gebrauch daß heiligen Abendmahls nach der heiligen Tauffe nötig zur Seligkeit allen denen/die sich zu dem würdigen Gebrauch desselben prüfen / vnd dem desselben habhafft sein können/daß sie nicht etwa aus einer vnümbgänglichen noht dessen beraubet werden. — Ist aber der Gebrauch des heiligen Abendmahls oder das Thun was Christus vns bey der Einsetzung des heiligen Abendmahls befohlen hat/nach der heiligen Tauffe zur Seligkeit nötig allen denen /die sich darzu prüfen/vnd dessen habhafft sein können/also daß sie nicht auß einer vnümbgänglichen noht desselben beraubet werden/so ist gar gewis auch der rechte Glaube von dem heiligen Abendmahl allen denen so es gebrauchen/nötig zur Seligkeit /also das /wen es ihnen nur nicht an den Mitteln die Wahrheit hierinne zu erkennen durchauß gebricht / sie nothwendig müssen den rechten Glauben haben von dem / darinne das heilige Abendmahl hauptsächlich / oder als in seinen wesentlichen stücken bestehet/ &c. Hic habes syllogismum Warnerianum, more Oratorii propositum. Minor est primo loco posita, major secundo, unde conclusionem quivis facili negotio inferre potest. Vbi autem quaesitum, in verbis modò productis determinat, utra sententia in quaestione inter nos & Reformatos controversa, sit vera? Fateor, Warnerum & ante, & post in uberiori argumenti sui deductione satis facere indicij, in quam partem ipse sit propensus; non tamen hoc facit argumento in se spectato, quod tam generale est, ut etiam in causâ quæ nobis cum Pontificijs intercedit, adhiberi queat. Generaliorem itaque Warneri propositionem respiciens ego, dixeram, *te antecedens non simpliciter negasse*. Ita generaliter enim conceptum non negaveras. Verbis sanè non negaveras, licet fortè mente negaveris, de quo mihi, qui non sum cordium scrutator, ac proinde non audeo ita, ut tu soles, sponfionem facere quid alijs in mea-

mentem non venerit, haut licuit aliquid dicere. Sit tamen ita, re scilicet mente negasse, usum Eucharistiæ quem Christus præcepit, esse ad salutem necessarium, quod aliàs ego, meliora adhuc tibi tribuens, non speraram te facturum fuisse: si illud, quod minor argumenti Warneriani generaliter indicat, concederes, plurimum certè lucratus essem cum Warnero meo in quæstione de pondere controversiæ inter nos & vos agitatæ. Nihil enim haberes amplius mi Johannes, quod vel aliqua saltem specie recti nobis opponeres. Sed, quamvis tu Minorem argumenti Warneriani quomodocunque acceptam neges, tamen satis nihilominus lucrati sumus Warnerus & ego, quod consequentiam majoris constanter nobis concedis. Ita enim tibi redeundum est ad quæstionem principalem de veritate rei, quam ego in superioribus tibi ob oculos posui, an sacra Cæna, quam Christus nos celebrare iussit, quamque nemo, inevitabili impedimento non retractus ab illâ ipsâ, sine jacturâ salutis negligere & omittere potest, consistat in comestione corporis & bibitione sanguinis Christi quæ ore fiat? an verba Domini, porrecto pane dicentis, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*, oralem corporis Christi manducationem importent? quod quidem ita esse, quamdiu verba in suo proprio significato capiuntur, certissimum, & argumento illo meo disjunctivo, quod tu non tantum non solvisti, sed concessâ tandem probatione ejusdem minoris quod scilicet substantia panis non possit esse substantia corporis Domini, fortius etiam adstrinxisti, prorsus est evictum. Hoc verò jam evicto, evicta quoque simul est necessitas *credendi*, quod in sacrâ Cænâ corpus Christi ore edatur, & sanguis ejus ore bibatur. Siquidem tunc non amplius potest negari minor argumenti Warneriani, etiam sic, ut tu eam specificè statim formare voluisti, intellecta, seu, quod in eo consistat usus Eucharistiæ, ut in eâ corpus Christi ore edatur, & sanguis ejus ore bibatur; ac proinde vi conse-

quentiæ, quam in majore argumenti Warneriani concessisti, non potest quoque tibi amplius obscurum esse, id quoque fore creditu necessarium, quod in sacrâ Cœnâ corpus Christi ore edatur, & sanguis ejus ore bibatur. Porro verò, cum apud Lutheranos saltem omnes, antecedens propositionis meæ majoris, quomodo tu illud expresseras (*corpus Christi ore edere, & sanguinem ejus ore bibere* iis quales Warnerus descripserat, est *necessarium ad salutem*) sit extrâ dubitationem positum, & in confesso, quomodo non illi omnes, si consequentia majoris, ut tu agnoscis, firma est, in conscientiâ sint constrikti, ut existiment, ad salutem quoque necessarium esse, illud ipsum ita fieri credere, quod Dominus ut facerent, Christianis suis imperavit? Cum itaque partem Calvinî, in illâ ad salutem necessariâ fide prorsus errare, ipsi iterum sint persuasissimi, quâ quæso conscientiâ partem illam errantem in fraternitatem spiritualem, quam retento etiam errore illo suo ambit, recipere illi possint? Et nondum vides, quantum Warnerus & ego *lucrati sumus* tuâ illâ *consequentia* majoris concessione? Pendebit quoque deinceps decisio quæstionis de *momento* ut loquuntur, *ponderare*, & *necessitate* credendæ illius sententiæ, quod in sacrâ Cœnâ corpus Christi ore comedatur, à decisione quæstionis, de veritate ejusdem doctrinæ. Quia enim tu concedis consequentiam hanc, *si ipsum corpus Christi ore edere, & sanguinem ejus ore bibere ad salutem necessarium sit, necessarium item ad salutem esse, credere quod id ita fiat atque faciendum sit*, unusquisque videt, è probata veritate antecedentis, promanare necessitatem credendi, quod corpus Christi ore edatur. In antecedente autem duo sunt probanda, corpus Christi ore edi, & id ipsum ita edi, ex præcepto Christi ad salutem iis, quos Warnerus indicavit, esse necessarium. De quorum posteriore res plana est. Videatur libellus meus pag. 100. Prius autem maximè est probandum. Hoc verò probare, est veritatem sententiæ nostræ probare.

Manet

Manet ergò quod initio dixi, decisionem quæstionis de pondere & necessitate credendæ oralis corporis Christi comestionis, pendere à decisione quæstionis de veritate illius ipsius nostræ sententiæ. Quo jure itaque vestri hodiè postulabunt, ut sepositâ quæstione de veritate nostræ doctrinæ, de ejus necessitate & pondere tantum dispiciatur? Et iterum non vides mi Iohannes, quantum Warnerus & ego *lucrati sumus*, tua illa *consequentia* propositionis nostræ majoris (etiam tam specificè, uti à te factum est, in antecedente suo expositæ) concessione?

IX. Iam probationes, tum eam quam Warnerus Freund fecit, tum illam quam ego superaddiderim, videre paras. Scripseram libelli mei pag. 103. Hic porro ex abundanti è Capit. VI. Iohannis, pro necessitate comestionis, & ἀποδείκναι necessitate rectæ cognitionis ipsius manducationis sacramentalis in ordine ad salutem, argumentum deprompsit doctissimus Warnerus. His tu recitatis, subjungis; Primum falsum illud est quo Warnerum ex abundanti è Cap. VI. Iohannis argumentum deprompsisse ais, atque ita argumenta huius rei etiam alia ipsum protulisse innuis. pag. 42. Non illud innui mi Iohannes, nec volui innuere. Hoc volui cum ceteri Doctores nostri necessitatem credendi oralem corporis Christi manducationem aliter probent, multi etiam caput illud VI. Iohannis de spiritali manducatione accipiant, abundans aliquid, comparatione aliorum nostrorum Doctorum (non comparatione aliorum à se ipso hic productorum argumentorum) præstitisse Warnerum, quando necessitatem fidei de orali comestione corporis Christi, ex eo quoque Capite probare fategerit. Hanc intentione meâ ita patefactâ, frustra jam sunt omnia quæ pag. 43. 44. contra me profers, frustra es, quando contra me concludis; Quare nec scribendum erat tibi, ex Cap. VI. Iohannis Warnerum ex abundanti argumentum deprompsisse. Illud argumentum, quod tu usurpas, Warnero planè ignotum fuit, neque aliud ille scivit, quàm quod è Cap. VI. Iohannis arcessere se posse putavit. pag.

45. Vnde verò tibi constat, Warnero argumentum quod ego usurpaveram, planè ignotum fuisse? an quia ejus non meminit, ideo ei & ignotum fuit? Hoc verò nihil est, nisi valdè debilis conjectura, quam eadem facilitate ego possum rejicere, quàm à te est allata. Quia verò illud, quod profectum est à meo ingenio, ipsi Warneriano è Cap. VI. Iohannis petito argumento est præmissum, placet tibi de illo priùs videre, quàm de Warneriano illo ampliùs cogites. pag. 45. Et adscribis iterum verba libelli mei. pag. 99. & proximè sequente, quæ ita habent: Quod autem causatur statim Vorstius, unde illud antecedens propositionis conditionalis Warnerianæ probetur, quod, corpus & sanguinem Christi ORE corporis manducare & bibere, necessarium sit ad salutem? ad hoc respondeo, probari id à nobis inde, quia omne quod Christus ut Doctor suorum fidelium, iussit facere, illis quos id iussit facere, factu ad salutem est necessarium ita, ut, nisi id faciant cum possint, gratia ipsius & salute excidant. Cyprianus Epist. 63. Quod si nec minima de mandatis Domini licet solvere (Matth. v, 19.) quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quàm quod institutum sit, humanà traditione mutare? Quod autem corpus & sanguinem suum ORE corporis edere & bibere iusserit, de eo verba ipsius clarissima, Edite, bibite neminem sinunt dubitare, quæ & præceptiva sunt, & quamdiu in proprio & naturali suo significatu relinquuntur, oralem manducationem & bibitionem necessario important, cum omnis comestio propriè dicta ore ceu instrumento fiat, sicut omnis cursus sit pedibus, ut superfluum etiam sit, oralem manducationem, & pedestrem cursum dicere. Ad hæc tu jam Iohannes: Rationem igitur ejus, quod corpus & sanguinem Christi ore edere ac bibere, ad salutem sit necessariū, allegas hanc, quod corpus & sanguinem suum Dominus ore edere ac bibere iusserit. Sed quomodo hoc probas? Ita quidem ut nihil aliud proferas, quàm verba Domini Edite, bibite, quæ præceptiva sint, & significatione quo.

quoque propriâ accipiendâ de comestione & bibitione quæ faciendâ ore sit, quis neget aut in dubium vocet? Verum præceptis istis & significatione propriâ accipiendis vocabulis, unde tu probabis de manducando corpore ac bibendo sanguine Christi agi? pag. 46. 47. Sed mi Iohannes, non difficile tibi erat, è textu meo videre, præceptum Christi de orali manducatione hîc faciendâ, me productis illis verbis *Edite, Bibite*, probare nunc quidem voluisse, sicut maioribus quoque literis vocem ORE in textu excudi curavi. Orale itaque manducationem Christum in cœnâ fieri iussisse, eamque vi illius præcepti ad salutem iis, qui eâ potiri possunt, necessariam esse, argumento illo abs me est evictum. Obiectum autem orali illius comestionis, corpus etiam Christi ipsum esse, hîc non opus erat denuo ostendere, cum argumento illo meo disjunctivo pag. 12. & 13. item pag. 19. & 20. libelli mei, dudum illud præstitissem. Cui, quomodo tu succubueris, aliquoties jam ad animum tibi revocavi. Quare autem hîc præteristi planè argumentum illud alterum, verbis Martini Chemnitij à me productis, & geminis planè illis ipsis, quibus Corpus doctrinæ Iulium, Responso ad priorem tuam epistolam §. 14. allegatum utebatur, comprehensum? Argumentum ita poterit in formâ proponi: Sine quo non potest dijudicari corpus Domini, quod ex præcepto Christi *Edite* ad salutem comestum est necessarium, hoc & ipsum ad salutem erit necessarium. Sine cognitione (fide) illâ, quod obiectum comedendum sit verum corpus Domini, non potest dijudicari corpus Domini, quod ex præcepto Christi *Edite* ad salutem comestum est necessarium. Ergò fides illa, quod obiectum comedendum sit verum corpus Domini, erit ad salutem necessaria. Hoc argumentum mi Iohannes, cautè voluisti dissimulare. Nec aliud quicquam habebas quod mihi hîc opponeres, nisi explosas à me dudum illas nœnias tuas; *Non dixit Dominus Edite corpus meum, Bibite sanguinem meum, sed dixit, Accipite, Edite, Hoc* (quod edere vos

D

volos;

volo; ut aliàs nunquam non addis) est corpus meum. Bibite DE
 (& quare non EX?) hoc omnes. Hoc enim est sanguis meus. Quod
 ut in epistolâ superiore demonstravi, tantundem est, ac si dixisset: Acci-
 pite, edite HIC PANIS est corpus meum. Bibite de (ex) hoc omnes,
 Hoc vinum (τὸ τοῦ νέκτορος hic potus, hæc potiuncula) est san-
 guis meus. Ex quo ergò minimè colligi hoc potest, quod corpus Christi
 ore edendum, & sanguis ejus ore bibendus sit &c. Similia dudum
 allata, & à me superiore responso multoties profligata omnia,
 profundis totò illo segmento, inter quæ etiam provocas ad au-
 doritatem tot virorum quos ego magni faciam, qui ad voces accipite,
 edite de NVLLA ALIA re quàm de pane subaudierint, & nomi-
 nas quatuordecim viros, syngrammatû Suevicû autores, Chemniti-
 um, Selneccerum, Lutherum, pag. 50. quorum verba quod con-
 trà eorum intentionem abripueris, oppositis aliis eorundem
 scriptorum verbis, suo loco tibi est monstratum. Evince tu
 hoc tantùm unicum quod hîc denuò pro autoritate affirmas,
 subjectum in verbis Domini τὸ Hoc, tantundem velle ac, hic
 panis; evince, inquam, hoc unicum & rem omnem confectam
 habebis. Citiùs autem tua ilia ruperis, quam id ullo conatu
 dederis effectum. Per naturam enim voculæ Hoc absolutè hîc
 ut nosti, positæ, illud, ne quid te celem, tibi prorsùs est impos-
 sibile. Cum itaque ab omni solidâ ratione adeò desertus hîc
 fueris Iohannes, ut nil nisi priores quisquillas à me superiùs
 protritas potueris reponere, manet argumento meo disjun-
 ctivo probatum, objectum comedendum, & principale quidè,
 quod Christus mandato suo Edite in sacrâ Cœna ore comedere
 voverit, esse ipsum verum & substantiale ipsius corpus. Tri-
 umphat similiter adhuc argumentum libelli mei pag. 100. pro-
 latum: Omne quod Christus ut Doctor suorum fidelium, iussit
 facere, illis quòs id iussit facere factu necessarium est ita, ut, nisi
 illi faciant cum possint, gratiâ ipsius & salute excidant; Cor-
 pus Domini ipsum cum pane ore edere, & sanguinem ejus cum
 vino

vino ore bibere, est aliquid quod Dominus ut Doctor suorum fidelium iussit facere. Ergò Corpus Domini ipsum cum pane, ore edere, & sanguinem eius cū vino ore bibere, est illis quos id iussit facere, factu necessarium ita, ut nisi illud faciant cum possint, gratiā ipsius & salute excidant. Iam quia tu mi Iohannes, concessisti consequentiam illam, *si rō ore corporis manducare & bibere corpus & sanguinem Christi, necessarium sit ad salutem, necessarium item esse ad salutem, ut credatur ac pro vero habeatur, quod id ita fiat* &c. antecedente à me, in Confutatione Epistolæ tuæ ad W. F. & in superiore Responso, probato, consequens deinceps quoque *ἐπεὶ ἔδωκεν ἡμεῖς*, nobis non poteris non largiri. Aufer itaque hinc vanissimam gloriationem tuam, apparuisse jam, quod istud argumentum, quod Warneriano ego superaddiderim, nullius planè momenti sit. pag. 51.

X Nunc ad ipsum quoque Warnerianum argumentum accedis, & quàm bellè illud ego vindicaverim, ostendere conaris. Est illud, inquis, petiit ex Capitis VI. Iohannis verbis istis: Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habetis vitam in vobis. Et sane si Salvator verbis istis de manducatione carnis suæ, & bibitione sanguinis sui, quæ ore fieri debeat, locutus esset, planissimè (nota lector) Warnerus vicisset, quod manducationem corporis, & bibitionem sanguinis Christi quæ ore fiat, ad salutem necessariam judicavit. Verum enim verò, demonstravi ego ex contextu, NON POSSE illa verba de manducatione corporis, & bibitione sanguinis Christi, quæ ore fieri debeat intelligi, sed oportere intelligi de manducatione & bibitione spiritali & figuratâ. pag. 51. 52. Et conquereris statim, me illius, quod argumentorum prius est, nullam mentionem in Confutatione facere, sed planè transfilire istud, cum tamen PRÆCIPVVM illud sit, pag. cit. 52. Addis pag. 60. me ad illud nihil quicquam regressisse, atque adeò nec potuisse. Et profecto rem esse tam perspicuam atque manifestam, quàm quæ maxime. Fateor mi Iohannes, me in Confutatione ad illud ar-

gumentum nihil quicquam regeſſiſſe. Cauſſa erat, quod mihi longè aliâ facie, quàm tibi viſum, occurrebat, tenue videlicet, & ſuapte imbecillitate, ſine impellente alio, ruiturum. Quia tamen exiſtimas, me nihil potuiſſe ad illud reſpondere, age experiamur nonnihil, quid poſſim aut non poſſim. *Sunt, inquis, in Capite VI. Iohannis, phraſes æquipollentes, manducare cibum qui de cœlo deſcendit, & manducare Chriſtum, & manducare carnem Chriſti; atque OMNES iſtæ phraſes NIHIL ALIVD ſignificant, quàm credere in Chriſtum, vel, ut phraſin manducare carnem Chriſti Auguſtinus libr. 111. de doctr. Chriſt. cap. 16. explicat paſſioni Domini communicare, atque utiliter recondere in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit. pag. 60. Verùm mi Iohannes, hoc ipſum, quod te pro fundamento hic ſubſtrucere video, eſt oleo nitidior petitiſſe ejus quod erat in principio. Quale igitur, quod fundamento illi ſuperſtruere moliris, ædificium ſit futurum, nemini non in proclivi eſt intelligere. Verſiculo, pergis, 47. atque alijs item præcedentibus propriè & citra metaphoram Dominus locutus fuerat hunc in modum, Qui credit in me, habet vitam æternam. In verſiculis ſequentibus autem merè ſerè metaphoris utitur, & quod vocabulo proprio credere dixerat, idem illud varijs iſtis phraſibus figuratis exprimit. Verſiculus igitur 48. ſic habet: Ego ſum æptos τῆς ζωῆς panis vitæ. Et verſ. 50. 51. Hic eſt panis ille qui de cœlo deſcendit, ut, qui de illo edit, non moriatur. Ego ſum panis ille vivus, qui de cœlo deſcendit. Si quis edit de hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo (edendum ſcilicet) eſt CARO MEA, quam ego dabo pro vitâ mundi. Cum verſiculo 48. dixerit ipſum ſe eſſe panem vivum, dicit nunc (verſ. 51.) ſuam carnem eſſe panem, quem edendum daturus ſit. In his igitur omnibus vox æptos panis, & phraſes edere de pane qui de cœlo deſcendit, tropicæ & figuratæ ſunt, quod nec à vobis negatur. pag. 60. 61. Verùm quidem eſt mi Iohannes, vocem æptos panis, & phraſin edere de pane qui de cœlo deſcendit,*

impro-

impropriè accipiendæ esse in hoc capite, ut *panis* idem sit quod ipse Christus, & edere de eo panem, idem quod credere in Servatorem; Sed quando vers. 51. Servator inquit, *panis vite*, ut proximè in eodem versu præcedit) *quem ego dabo*, CARO MEA est, quam ego dabo pro mundi vita, minimè existimamus Warnerus & ego, tropicè ibi sumi vocem *carnis*, quæ ibi subjectum est, quamvis sit posteriore loco posita. Existimamus potiùs, in illis ipsis verbis, sermonem Servatoris ad novum quiddam, & ad aliam comestionem proponendam, incipere deflecti. Auditis enim illis verbis, *panis quem ego dabo, caro mea est &c.* noviter planè, & multo quàm anteduriùs, offenduntur Iudæi, dicentes, *quomodo potest hic carnes suas & retinere, & nobis dare ut vescamur?* Ipse hîc statim fateris, cum Dominus non tantùm ipsum se esse panem vitæ, sed & suam carnem esse panem, quem edendum daturus esset, dixisset, Iudæos illud de carne ARRIPVISSE, & dixisse inter se: Quomodo hic potest nobis carnem suam edendam dare? Tum vero Dominum id quod jam dixerat, carnem suam esse cibum, quem edendum dare velit, iterum dixisse, *istis quidem verbis quæ versiculo 53. sequuntur*: Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habetis vitam in vobis. pag. 62. Iuxta te ipsum itaque, Iudæi, è voce *carnis* cæperunt intelligere, sermonem Servatoris ad aliam comestionem proponendam deflecti. Hîc si nihil amplius Servator proponere voluisset, quàm de spiritali manducatione hætenus inculcaverat, tempestivum æquè ac facilimum fuisset, *hos motus animorum*, atque hæc certamina Iudæorum comprimere, repetendo verba superiora; ego sum panis vitæ, qui credit in me, habet vitam æternam; quomodo res expedita, & fluctuantes Iudæorū animi, continuò fuissent sedati. Tantum tamen abest, ut Servator opinionem de propriâ & reali carnis manducatione, in Iudæorum animis or tam eximere voluerit, ut verbis magis discretis, claris & distinctis augere etiam, & confirmare voluerit. Præ-

cipium itaque nudè tu iterum petis, quando proximè probatis tuis, hæc sequentia attexis: *Hic phrasēs edere carnem Christi, & bibere sanguinem eius, nihil aliud significare dico, quàm phrasēs antecedens, edere de cibo isto qui de cœlo descendit significare potest, & quomodo hæc per metaphoram significat in Christum credere, ita & illam idem illud significare.* pag. cit. 62. Hoc totum mi Iohannes, est, ut dixi, vana ejus quod in principio erat, petitio. Si ita esset, ut tu contendis, non denuò & quidem durius quàm antea, offensi fuissent Iudæi, ac certe Servator noster ipsos nullam habere novam offensionis causam ostendisset. *Sed videamus, pergis tu tamen.* pag. cit. & *sequentes versiculos.* Fiat, videamus. *Et versiculus quidem 54. sic habet: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Deinde versiculus 56. hic est: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo: Atque ita phrasibus edere carnem Christi, & bibere sanguinem eius jam TER est usus. Mox in versiculo 57. phrasin rursus variat, & loquitur sic: Qui edit me, ille vivet per me. Atque ita tertiam quoque phrasim illarum æquipollentium, de quibus dixi, videlicet Christum edere, habemus. Versiculo 58. denique, qui proximè insequitur, ipsam primam phrasin, quâ versiculo 50. & 51. usus fuerat, videlicet, edere panem qui de cœlo descendit, resumat, & sic loquitur: Hic est cibus ille qui de cœlo descendit. Qui edit hunc cibum (qui de cœlo descendit) vivet in æternum. Jam quia verba versiculi 50. Hic est panis ille qui de cœlo descendit, ut aliquis de eo edat, & non moriatur, & verba versiculi 51. Ego sum panis ille vivus qui de cœlo descendit. Si quis de hoc pane ederit, vivet in æternum; quia inquam ista verba de manducatione figuratâ & spiritali accipitur, verba quoque parallela versiculi 58. Hic est panis qui de cœlo descendit, qui edit hunc panem, vivet in æternum, de manducatione figuratâ & spiritali accipiatis necesse est.* pag. 63. 64. Hæc tu iterum ita, Iohannes. Sed quid offerit nobis, si concedamus, versiculo 57. 58. redire Servatorem ad

ad comestionem spiritualem, & cum sacramentali, jam aliquoties distinctissimè expositâ, fructum ejusdem, paucis iterum connectere? Tu tamen vim nunc sermoni tuo addis, & ita infis: Porro verò, quoniam ea verba, quorum altera proximè ante versiculum 53. altera proximè post eum apparent, de manducatione figuratâ & spiritali accipienda agnoscitis, verba item intermedia vers. 53. 54. 55. 56. Nisi manducaveritis &c. ea inquam verba intermedia, de manducatione & bibitione figuratâ & spiritali itidem accipiat oportet. Quid enim causæ sit, quamobrem phrasés illas intermedias manducare carnem Christi, & manducare Christum, aliter accipiat, quàm phrasin illam quæ utrinque apparet manducare de pane isto qui de cælo descendit? Hic est ultimus tuus conatus, quem cum reliquo omni discursu, meæ huic responsioni, nullo, ut vides, verbo tuo omisso, inserui. Miror autem quod quæras, quæ causæ sit, quamobrem phrasés illas intermedias aliter accipiamus, quàm phrasin illam quæ utrinque apparet. Recensebo breviter eas, si forte vel nondum satis subierint animum tuum, vel, quod malo credere, memoriâ tibi exciderint. Prima omnium hæc est, quod, ubicunque retineri potest sensus verborum proprius, ibi non sit delabendum ad improprium, sicut, quando cunque licet introire in domum per portam, stultus sit, qui velit irrepere per fenestram. Hoc principium hæsit Iudæis & discipulis Christi in mente, cum non amplius totius Christi, sed *carnis* ipsius mentionem fieri audiverunt, quam non repugnat propriè edi, inde enim aliquid novi afferri senserunt. Hæc ergo, ut dixi, est prima quoque causæ quæ nos movet, ut vers. 53. 54. 55. 56. de propriè dictâ comestione & bibitione corporis ac sanguinis Domini intelligamus. Altera causæ quæ nos movet, ut sic intelligamus, hæc est, quod ipsi discipuli Christi, quamvis hæc ipsa verba propriè intelligentes, iis vehementer fuerint offensi, eo nihilominus nomine à Christo non legantur reprehensi, cum tamen id maximè fieri decuisset, si verba sua propriè intelligi, Servatori nostro adversum, & non magis

magis intentioni ipsius congruum fuisset. Quam causam doctissimus Warnerus in homiliâ pag. 114. 115. ad 119. imò & sequ. usque ad 125. satis inculcat & urget. Tertia causa est, quod in vers. 53. 54. 55. 56. accuratè distinguitur comestio à bibitione, caro à sanguine. Distinctione enim illâ non est opus in spiritali fruitione quæ fit per fidem. Ibi edere quoque includit bibere, & caro includit sanguinem. Cum autem hic distinctione opus fuerit (siquidem nisi opus fuisset, Christus non ita protulisset, neque Sp. S. ita literis consignari fecisset, quos nihil temerè fecisse credimus) patet, vocabula minimè, ut antea factum, impropriè accipi. His in cumulum accedat & quarta causa, quod Dominus corpus suum ore manducare, & sanguinem suum ore bibere & alibi iusserit, & quidem in ipsis verbis Institutionis sacræ Cœnæ. Vbi tu quidem in epistolâ ad Warnerum pag. 152. opponis, *falsum esse quod Dominus verbis Accipite, edite. Hoc est corpus meum, corpus suum ore iusserit edere — panē inquis edere iussisse, atq; ipsum panem quem edere iusserit, corpus suum, id est, signum corporis sui esse confirmasse.* Sed quomodo potuisses futilius mi Iohannes? Quamdiu proprietas verborum nobis non poterit eripi, evictum est argumento meo disjunctivo, toties tibi ingesto. Hoc quod edere iussit Dominus, fuisse aliquid conjunctum cum pane, illud ipsum nimirum, quod in prædicato distinctè est indicatum.

XI. Procedat nunc alterum tuum, in Confutatione à me profligatum argumentum, quod hic quidem priore loco resumpisti. Argumentatus eras in epistolâ ad W. F. ita: *Si illa verba Capit. vi. Iohannis (de quibus inter nos est quæstio) de manducatione & bibitione quæ ore fieri debeat, sint intelligenda, secuturum, integro anno, aut eo amplius, neminem fuisse, qui vitam in se habuerit.* Ita enim nervum argumenti tui hic ipse proponis pag. 52. Responderam ego; *salva res est. Consequentia boni Vorstii paralyti laborat.* Etsi enim manducatio illa corporis Ch. sacramentalis, integro anno ante institutionem sacræ Cœnæ à Servatore fuisset prædicta,

ita, quia tamen institutam & promulgatam fuisse Warnerus non asseruit, nec asserere necessum habet; & verò lex omnis ante promulgationem non obligat, unusquisque videt, quàm frustrà sit acumine illo Vorstius, quo nosmet ipsos in angustias nos redegissem colligit. Ita quidem tum, argumento illi tuo nervus à me est, & manet adhuc incisus. Verum, si tibi credimus, ne sic quidem cum Warnero meo, ego tibi effugero. Adigam, inquis, vos nihil secius ad absurdum istud, quod integro anno, quo ipse Salvator in terris fuit, nemo vitam in se habere poterit. Quod dicis, sacram cœnam non institutam fuisse tunc, cum verba Nisi manducaveritis carnem filij hominis Salvator pronuntiaret, sed integro anno post; itemque legem non obligare, antequam promulgetur, id nihil ad rem facit, neque ab eo, quod dixi, absurdo vos vindicare potest. Quod ipsa illa verba Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habetis vitam in vobis, de manducatione carnis Christi quæ facienda ore sit, intelligitis, quodque manducationem illam integro anno post institutam & promulgatam esse statuitis, ex eo ipsum illud quod dixi absurdum manifestè sequitur, integro anno nullum mortalium fuisse, qui vitam in se habuerit. Quid enim? An non verba illa Domini Nisi manducaveritis, intelligenda de tempore PRÆSENTI sunt? Et, annon manducationem carnis, & bibitionem sanguinis Domini, quâ de verbis istis Dominus ipse loquitur, facienda illo ipso tempore fuit, quo Dominus elocutus ista fuit, id est, integro anno ante institutam sacram cœnam? An verò verba Domini accipienda putatis sic; Nisi carnem filij hominis manducaveritis post annum, & sanguinem ejus post annum biberitis, non poteritis tunc, post annum scilicet, vitam habere in vobis. Hæc ferè mens tua videtur esse, quod dicis, manducationem corporis Christi sacramentalem i.e. quæ ore fiat, integro anno ante institutionem s. cœnæ hic prædictam fuisse. Verum, quam temerè! Non prædictio hic est de aliquo, quod eventurum aliquando esset, sed lex & comminatio, quæ ad ipsum tempus præsens pertinet. Non dixit Salvator, Manducare aliquando poteritis

E

ritis

ritis carnem meam, & manducaturi quoque estis, sed post annum demum. Et, nisi tunc temporis, id est, post annum, carnem meam manducaveritis, non poteritis tunc vitam habere in vobis; *sed dixit*: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, *ὅτι ἔχετε ζῶν ἐν ἑαυτοῖς* non habetis vitam in vobis. *In eandem sententiam insequuntur mox alia, vocabulis iidem temporis* PRÆSENTIS prolata ὁ *τελῶν* qui edit carnem meam, & qui bibit sanguinem meum, *ἔχει* habet vitam æternam. *Item*, Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, manet in me, & ego in ipso. *Rursus*: Qui edit me, ille vivet per me. *I nunc*, & *finge*, Dominum verbis Nisi manducaveritis carnem meam prædixisse, quod manducatio carnis Christi eventura olim esset, & post annum quidem; non verò voluisse carnem suam ipso illo tempore, quo verba ista eloquebatur, manducandam esse. Et ne desit ἐπιπρόσδιον, addis hoc gloriosum: Non mirum est, tot alias *παραλογίας* in libello tuo apparere, postquam eò temeritatis prolapsus te videmus, ut dixeris, Dominum non id voluisse, quod caro sua manducanda MOX esset, sed quod manducanda demum esset post annum. pag. 54. 55. 56. 57. Totum tuum, etsi tadiosè prolixum contextum volui adscribere, ut specimen sapientiæ tuæ Grammaticæ luculentum, lectōr sibi propositum haberet. Unicum præsidium cui inniteris, collocas in eo, quod Servator dicens, Nisi manducaveritis &c. loquatur de manducatione carnis &c. faciendā ILLO ipso TEMPORE QVO Dominus ELOCUTVS ista fuit. Itemque non prædictionem hic esse de aliquo, quod eventurum aliquando esset; sed & comminationem, quæ ad ipsum TEMPVS PRÆSENS pertineat. Dixisse Servatorem, nisi manducaveritis carnem filii hominis &c. *ὅτι ἔχετε* non HABETIS non dixisse *ὅτι ἔχετε* non HABEBITIS. Dæmonium Grammatici, benè docte Iohannes! Ergone ille, qui de actione aliquā instituenda, vocabulis temporis præsentis utitur, hoc ipso continuò intelligi debet de actione pro illo tempore instituendā locutus esse?

Quæ

Quæ te Grammatica hoc docuit? Quam multa contraria exempla sunt in promptu! Aliqua tantum huc adscribo. Dicit Servator Iohan. x, 17. 18. *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, ut rursus sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Dicit similiter Paulus 1. ad Timoth. iv, 6. *ego jam labor, πένθος, & tempus resolutionis mea instat.* Tunc verò Iohannes hinc conficiet, Christum & Paulum pro eo ipso tempore, quo locuti ista fuerunt, animam posuisse, & mortem operuisse? Dicit iterum Servator Matth. v, 46. *quam mercedem exetis habetis?* An & hic sustinebis ita ineptire; non dixit Servator *ὅτι ἐξετε, non habebitis, sed, ὅτι ἐξετε, non habetis?* Porro, dicit Paulus 1. Cor. xvi, 5. *Veniam ad vos, cum Macedoniam transiero. Μακεδονίαν γὰρ διέρχουμαι* Macedoniam enim transeo. An, quando hoc loquebatur, Macedoniam continuò pertransibat? Apocal. xi, 3. 5. legimus: *Dabo illam duobus testibus meis, qui Prophetabunt. — Quod, si quis, velit eis nocere, ignis prodit de ore ipsorum, qui devorat inimicos eorum &c.* An tu dixeris, eo ipso tempore, quo hæc locutus est S. Iohannes, ignem illum prodisse ex ore duorum testium, & devorasse eorum inimicos? Parco similia plura adscribere. Et quis Grammaticam tam infelicitè doctus sit, ut ignoret, præsens, nec non Aoristum, pro futuro sæpiùs poni consuevisse. Quid? quod si verba Domini, *Nisi manducaveritis &c.* intelligenda sint de tempore præsentis, etiam in sensu eorum qui verba hæc improprie accipiunt, & spirituales fruitionem intelligunt, manifestò absurdum aliquod consequitur? Cum enim tempus præsens, quo Dominus verba illa protulit, quàm maximè fuerit ille dies quo protulit, vel potius ipsa hora quâ protulit, sequitur, quòd nisi homines illa verba audientes statim eodem die, eadem horâ crediderunt in Christum, adeoque sic spiritualiter corpus Domini comederunt, non potuerint habere vitam æternam, licet forte postero die, vel subsequenti horâ in Christum crediderint, & sic Christi corpus

manducaverint, id quod absurdum esse, quis quæso non videt? Ecquis enim credet, gratiam æternæ vitæ consequendæ, præcisè illi temporis articulo, quo Dominus illa verba protulit, fuisse alligatam? I nunc Iohannes, & *finge*, verba Domini *Nisi manducaveritis &c.* intelligenda omninò de tempore præsentis esse. Sed tamen, pergis tu, non prædictio hîc est de aliquo, quod eventurum aliquando esset, sed lex & comminatio, quæ ad ipsum tempus præsens pertinet. Sit ita mi Iohannes, sit hîc *lex*, sit *comminatio*, proba tu, quod lex illa, & comminatio illa, *ad tempus præsens* sint restrictæ. Nec enim insolitum est, tam leges, quàm comminationes, in futurum quoque extendi, & quando lex in futurum promulganda memoratur, quidni & prædictam tunc illam esse, rectissimè dici possit? Certe comminationem posse simul prædictionem includere, & tempus futurum respicere, in ipso limine sacrae scripturæ potuisses discere, considerando verba supremi Numinis Genes. III. 15. *ad serpentem infernalem facta: Inimicitias ponam inter te & ipsam mulierem, & inter semen tuum & semen eius: Ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Nonne hîc est comminatio ad serpentem infernalem, de præsentis, & simul prædictio de Christo nascituro, pro nobis passuro, atque opera Diaboli destructuro? Ita jam vides Iohannes *περὶ τοῦ*, quàm bellè priori illi tuo, quod *paralyti laborare* ostenderam ego argumento, medicinam Grammaticam à tempore tuo præsentis petitam attuleris. Neque tamen, in præceptis quasi semel actus, reprimere te potes quin porro impingas, quando *sylogismo* aliquo nudo ut vocas & *explicito* me adoriris. Syllogismus tuus ille nudus ita habet: *Quicumque carnem Christi manducare, & sanguinem ejus bibere non potuerunt tum, cum Dominus verba Nisi manducaveritis carnem filij hominis, pronunciaret, ij vitam in se habere illo tempore non potuerunt. Omnes mortales, qui tunc cum Dominus ista verba pronuncia-*
et, vixerunt, secundum nos fuerunt tales, qui carnem Christi man-
ducare

manducare, & sanguinem ejus bibere illo tempore non potuerunt. Ergò nemo mortalium qui tunc temporis vixit, vitam in se habere potuit. Adjungis probationem propositionis majoris. Hujus, inquis, syllogismi propositio major ex eo patet quod, ut ostendi, verba Nisi manducaveritis, intelligenda sint de tempore præsentis. Minor verò & ipsa patet, quia manducationem carnis Christi, & bibitionem sanguinis ejus, quam verbis Nisi manducaveritis, significatam putatis, integro anno post, institutam atque promulgatam esse statuitis. Quare nec de absurda ista conclusione dubitari potest, quod ad illam adigi utique vos passi estis. Quia verò conclusio est absurda — alteram præmissarum falsam esse oportet. At non est falsa propositio major. Ergò relinquitur falsam esse propositionem minorem quæ est vestra pag. 58. 59. Verbo respondeo. Quandoquidem fatearis, propositionem hujusmodi syllogismi majorem ex eo patere, quod, ut ostenderis, verba nisi manducaveritis, de tempore præsentis sint intelligenda, & vero hoc, ipsum minimè ostenderis, manet syllogismus ille tuus verè nudus & jejunos, & omni valore concludendi destitutus.

XII. Nec dum finis tuæ περὶ τοῦ λόγου. Sequitur & tertium argumentum, cujus & ipsius mentio aliqua in epistolâ ad W. E. jam facta sit, videlicet quod manducationem carnis Domini, & bibitionem sanguinis ejus ipse Dominus dicat efficere, ut homo vitam in se habeat, & in Domino maneat, ac Dominus in ipso. Verba sic habent: Nisi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis. Ex quibus facile intelligitur, quod omnes illi qui manducant carnem filij hominis, & sanguinem ejus bibunt, vitam in se habeant. In quam sententiam ipse Dominus enunciationi hypotheticæ categoricam universalem, mox subiungit hanc; Qui, id est quicumque, vel, omnis qui, edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. pag. 65. 66. — At comestio carnis Christi & bibitio sanguinis ejus quam vos propugnatis, secundum eosdem vos etiam illis, qui vitam in se non habent, & in Chri-

sto non manent, obtingit. — Syllogismus nudus atque explicitus potest esse talis: Manducatio carnis, quam in sacrâ Cœnâ ipso ore fieri vos putatis, secundum eosdem vos non est talis, per quam omnes qui eam faciant, vitam habeant. Manducatio carnis Christi de quâ in Cap. vi. Iohannis agitur, talis est, per quam omnes qui eam faciunt, vitam in se habent. Ergo manducatio carnis Christi, de quâ in Cap. vi. Iohannis agitur, non est illa, quam in sacrâ Cœnâ ore fieri vos putatis. Huius syllogismi propositio minor liquere potest ex verbis Domini. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, vivet in æternum. Propositio nem autem maiorem, facile vos concedetis, quoniam statuis, ab ipsis quoque impijs, ore comedi corpus Christi. pag. 65. 66. 67. Sed valdè falleris mi Iohannes, quando existimas, propositionem syllogismi tui maiorem, nos facile concessuros. Planè contrarium, & ita existimamus, maiorem non esse simpliciter veram, & ideo eam statim pernegamus. Omnino manducatio carnis Christi, quæ in sacrâ Cœnâ ore fit, est talis, quantum quidem (nota hoc Iohannes) est ex parte ipsius, per quam omnes qui eam peragunt, vitam (gratiæ) in se habeant. Quod autem multi nihilominus, qui eam peragunt, vitam (gratiæ) in se non habent, & in Christo non manent, ejus rei culpa hæret ex parte ipsorum sumentium. Quod rectius percipies Iohannes, si exemplum rei huic illustrandæ adhibuero. Medicamentum aliquod, potest de sese ita comparatum esse, ut sumentibus omnibus sit salubre, quantum est ex parte ipsius, etsi minimè in omnibus illis, effectum à medico intentum producat. Quod autem in nonnullis effectum, quem debebat, non producit, culpa non est ex parte medicamenti, sed eorum qui illud sumunt quidem, sed vel non sicuti par erat sumunt, vel sumpti efficaciam impedimentum, sive scientes, sive inscij, addunt, ut ipsa ejus efficientia quam vocant, intercipiatur. Ostensâ itaque sic falsitate propositionis majoris in tuo syllogismo, Iohannes, relinquatur ille tibi

tibi iterum nudus & à vi probandi miserrimè inops. Consulo tibi, ut utrique, & priori, & huic ipsi, emas vestimenta alba, ut induantur, ne appareat dedecus nuditatis eorum, Apocal. 11. 18. Ex his igitur tribus argumentis, quæ nunc denuò proposuisti, & ab impugnationibus meis tam infeliciter vindicasti, luce meridianâ clarius apparet (reddo ut vides, tibi tua verba) quam tu falsò existimaveris, Warnerum & me è loco Capit. vi. Iohannis vers. 53. non potuisse probare quod voluerimus, videlicet manducationem carnis Christi, & bibitionem sanguinis ejus quæ ORE fiat, necessariam esse ad salutem, pag. 68. Vellicamus tibi potiùs aurem, & jubemus te recordari verborum, quæ pag. 51. cum defensione argumentorum tuorum ingredereris, ingenuè protulisti. Sanè, si Salvator verbis istis Ioh. vi. 53. de manducatione carnis suæ, & bibitione sanguinis sui quæ ore fieri debeat, locutus esset, planissimè Warnerus vicisset, quod manducationem corporis, & bibitionem sanguinis Christi quæ ore fiat, ad salutem necessariam judicavit. pag. 52. Subsumo ego, sed Salvator omnino verbis istis de manducatione carnis suæ &c. quæ ore fieri debeat locutus est. Id enim probavit Warnerus in Homiliâ. Tu verò & exceptiunculis tuis ad ejus probationes, & tribus illis tuis in contrarium prolati argumentis, altera quoque nunc vice frustra fuisti. Conclusionem itaque nunc subdat, cuicumque libet.

XIII. Hic de mente veterum paulò adhuc amplius tibi videtur discipendum. Concesi ego, inquis, in epistolâ ad Warnerum Freund, Doctores Ecclesiæ veteres verba Domini, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, magno consensu de sacrâ Coenâ accepisse. NVNC verò amplius DICO, non tantum verba, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, ut quæ in versiculo 53. c. VI. Ioh. apparent, sed & verba quæ antecedunt, veteres de sacrâ Coenâ accepisse, atque ita à te ac Warnero Freund, atque ab ipso quoque Clarissimo Calixto, quem sequimini, discrepasse. Putatis vos, versiculo 53. DEMVM, ubi verba Nisi manducaveritis carnem filii hominis, apparent, de
sacra

sacra Coenà, id est, ut vos intelligitis, de manducatione carnis Christi, & bibitione sanguinis eius quæ ore fiat, agi coeptum esse. Deinde putatis, Doctores quoque ecclesiæ veteres sic statuisse. Verba tua in pag. 103. sic habent: Dixerat in Harmoniâ Evangelistarum ad cap. vi. Ioh. excellentissimus Calixtus, veteres omnes tum primæ, tum mediæ ætatis caput hoc à vers. 53. inde (in quo sunt verba Nisi manducaveritis carnem filii hominis) de sacramento Eucharistiæ accipere. Quod igitur Caput VI. Iohannis à vers. 53. inde, de sacramento Eucharistiæ, & de sacrâ cœnâ veteres accepisse dicis, SINE DVBIO mens tua hæc est, ANTE versiculum 23. ipsius capitis de sacramento eucharistiæ actum esse, veteres non statuisse. Quid enim attinebat verbo à v. 43. inde adicere, si versiculos præcedentes non exclusos velles? Verum in hoc rursus manifestè falsus es. Non versiculo 53. TANTVM & hunc sequentibus, de sacramento eucharistiæ actum, veteres statuerunt, sed & illis versiculis qui quinquagesimū illum tertium antecedunt. Quod vel ex his quæ in epistolâ ad W. F. allegavi intelligere poteris, pag. 69. 70. Et repetis verba quædam Augustini, Cypriani, Theodoret, qui ultimus verba, Panis quem ego dabo, est caro mea, quæ in versiculo 51. cap. VI. Iohannis, atque adeò ante versiculum 53. legantur, parallela atque æqui pollentia statuerit verbis Christi Hoc est corpus meum, Quod etsi non rectè se habeat, apparere tamen putas ex eo, falsum esse quod scripserim, veteres caput sextum Iohannis inde à vers. 53. de sacramento eucharistiæ accepisse. Facile enim intelligitur inquis, te hoc EXCLUSIVE intellectum velle, quod videlicet TANTVM à versiculo 53. caput istud de sacramento eucharistiæ acceperint, NON verò versiculis quoque prioribus. pag. 73 — Acceperunt veteres illi de sacrâ cœnâ non versiculum 53. TANTVM, & aliquot hunc sequentes, verum etiam plures cum antecedentes. Quod non ex illis tantum, quæ ex epistolâ ad W. F. repetii, sed & ex pluribus aliis, & præcipue ex integris Commentariis Augustini, Chrysostomi, Cyrilli, Theophylacti & aliorum apparet, pag. 74. Cum larvis hic planè pugnas Iohannes, & cum adversarium hic nullum habeas, ipse ti.

bi con.

bi constituis cū quo lucteris. Vbi Warnerus & ego, aut etiam Cl. Calixtus, *exclusiue* ut tu hic facis, locuti sumus, & diximus, *veteres* à vers. 53. TANTVM, verba Iohannis cap. cit. de eucharistiā intellexisse, ANTE versic. 53. istius capituli de sacramento à Christo actum esse, *veteres* NON *statuisse*? Vbi hæc apud nos legisti Iohannes? Fingis pro lubitu, ut populo te ostentes, quam tu in scriptis Patrum intelligendis, etiam Calixto fueris perspicacior. Nos, ut quilibet vider, absolute locuti sumus, & diximus, ab isto versic. *inde*, de manducatione corporis Christi, & bibitione sanguinis ejus quæ in sacrâ Cœnâ peragatur, Christum verba fecisse, hoc veteres magno consensu credidisse. An & antecedentes quosdam versiculos de sacrâ Cœnâ veteres aliqui siue directè acceperint, siue quocunque modo ad eam deflexerint, suo loco relinquimus, nihil eâ de re vel affirmantes, vel negantes, cum ad institutum nostrum id minimè faceret. Sed urges tu tamen; *Quid attinebat adijcere*, à vers. 53. *inde*. *si versiculos præcedentes non exclusos velles*? Verba illa à vers. 53. *inde*, adijcere, hoc attinebat, quod necessitatem oralis corporis Christi manducationis, à vers. 53. *inde*, & non ex antecedentium versiculorum aliquo, probandam sibi sumpsisset Warnerus. Quando itaque post alias luculentas rationes, quibus probaverat Warnerus, à vers. 53. *inde*, sequentes versiculos, de sacrâ Cœnâ, siue manducatione corporis Christi, & bibitione sanguinis, propriè dictis, non, quæ per solam fidem, extrâ sacramentum non minus quàm in sacramento fiant, agi; etiam ad veterum suffragium ipsi provocare placebat, significandum utique disertè erat, & veteres verba Iohannis à vers. 53. *inde* de manducatione corporis, & bibitione sanguinis Christi propriè dictis accepisse.

XIV. Pergis Iohannes, & dicis, *et si concesseris, ac minimè negaveris*, veteres NON TANTVM versic. 53. Capit. VI. Iohannis, sed & plusculos eum antecedentes, de sacramento intellexisse, non

F

tamen

tamen perinde & hoc concedere, eosdem veteres sacram Cœnam atque eucharistiam sic intellexisse, quomodo ego cum Cl. Calixto, Warnero Freund, pluribusque alijs eam intelligam, i. e. de manducatione corporis Christi & bibitione sanguinis ejus quæ ore fiat. Et recitas verba tua, quibus in Epistolâ ad W. F. hoc ipsum jam professus eras. Non statuerunt illi (veteres) dixeras, corpus Christi ore manducandum, & sanguinem ore bibendum esse; sed mens eorum hæc fuit, ore quidem sumenda esse panem & vinum eucharistiæ: at fide manducandum esse corpus Christi, & sanguinem ejus bibendum, quale quid certè, in omni prandio & jentaculo fieri posset, ut peculiari Institutione sacræ Cœnæ Christo nihil fuerit opus. Reposueram itaque ego in libello meo ad verba tua jam repetita, quod tu de veteribus pertendisses, id aperte falsum esse, & audaciam interpretatus eram. Hic tu iam dithyrambum tuum magnis aulicis ordiris, Sed heus tu! non tantum ego hoc dixi, corpus Christi ore manducandum veteres non statuisse, sed pluribus quoque argumentis idem comprobavi. Et jactitas iterum tua PLVS quam VIGINTI argumenta, quibus in Dissertationibus tuis sacris usus sis, quæ, inquis, si expendenda & refutanda sumere vetis, habebis in quo te exerceas. In eo quidem libello, quem contra me edidisti, non refutasti illa, neque refutanda tibi sumpsisti. pag. 76. 77. Sed heus tu vicissim, miles gloriose, si tu, è Patrum phrasibus & dictis, sæpius incautioribus & minus accuratis, non dicam, plus quam viginti, ut quæ non prosunt singula, multa juvent, sed plus quam mille viginti argumenta contorsisses, non possis autem solvere (ut sanè nunquam poteris) meum illud unicum argumentum disjunctivum, quo ego probaveram, particulam demonstrativam Hoc in verbis Domini, non respicere panem, sed aliquid conjunctum cum pane, illud ipsum nimirum, quod in prædicato deinceps clarè & distinctè effertur; ego universam illam tuam argumentorum è Patrum libris conscriptorum phalangem, uno titivilitio nolim emputare. Illud igitur meum un-

*cum argumentum, ubi expendendum denudò, & refutandum tibi
 sumpseris, habebis in quo te in perpetuum exerceas & fatiges. In
 superiore quidem epistolâ illud non refutasti. Refutandum tibi
 quidem sumpstisti, sed eo eventu, ut contradictionis laqueo re-
 met ipsum imprudenter irretiveris, & probationem Minoris,
 à qua vis argumenti omnis pendeat, quamque omni opum vi
 convellere conabaris, tandem, tuus ipse adversarius factus, li-
 berali manu sponte mihi etiam concesseris, & ita ex argumen-
 to fortissimo, invictum ipse effeceris. Sed ego tamen non re-
 futavi, nec refutanda mihi sumpsi terribilia illa tua P L V S quàm
 VIGINTI, è Patrum libris convasata argumenta ! Nec illud
 agere, instituti quoque mei hâc vice fuit. HOC nunc AGA-
 MVS mi Iohannes, & ad finem ante perducamus disceptatio-
 nem de quæstionibus his ipsis principalibus inter nos coeptâ;
 an oralis manducatio (ut tu vocas) corporis Christi, è verbis
 Domini edite, *Hoc est corpus meum, quod &c.* in suo naturali quidè
 significato retentis, necessariò concludatur: Itemq; an à naturali
 verborum Domini sensu hîc necessum sit recedere, & in præ-
 dicato vestram metonymiam amplecti ? Affirmativa prioris
 quæstionis, argumento meo quod tibi objeci, jam prorsus est
 evicta. Affirmativa posterioris, tibi evincenda incumbit. Quam
 quidem hætenus non evicisti, nec evinces faciliùs aut feliciùs
 in posterum, quàm Photinianus evincet, à naturali verborum
 significato in locis scripturæ, quibus Christus Deus, & filius
 Dei unigenitus dicitur, esse omnino recedendum. Hîc hîc mi
 demonstrator, si debellatum ante fuerit, poteris me denudò
 compellare, ut ad tua *plus quam viginti*, è Patribus corrasa argu-
 menta respondeam. Et ecce tunc me futurum paratum ! nec
 diu illa multumque me poterunt exercere. Interea mi Iohan-
 nes, quantum in illâ, quàm è Patrum locutionibus in Disserta-
 tionum tuarum farragine instruxisti pugnâ, valeas, speciminis
 minimè fallacis loco nobis esse poterunt, quæ è grandiore illo
 volumine excerpta, ut video, roboris utique non proletrij, &*

ideo Warnero ac mihi maximè opponenda iudicasti, de quibus paulò post iterum tecum agam. Quia verò & ego in libello meo, pauca quædam è multis veterum testimonia (sic locutus eram) corpus & sanguinem Christi CORPORE & ORE communicantium reverà sumi, clarissimè pronunciantia, collegerà, ordinem à te servatum secutus, videbo primùm, quid ad illa potueris rogerere.

XV. Produxeram ego primo loco verba Irenæi, è cap. 34. libri vi. Quomodo hæretici dicunt, CARNEM in corruptionem devenire & non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine Domini alitur. — Quemadmodum enim qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & celesti, sic & CORPORA NOSTRA, percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Hic tu primò conquereris, me verba illa simpliciter modo citare, neque ullo verbo docere, quâ ratione colligendum ex iis sit, quod corpus Christi ore manducandum, & sanguinem ejus, ore bibendum Irenæus crediderit. pag. 78. Mox addis; ait ille (Irenæus) nostram carnem corpore & sanguine Domini ali, & nostra corpora Eucharistiam percipere. Ex quo fortasse tu colligendum sic putas. Quocunque alitur caro nostra, id ore manducatur ac bibitur. Corpus & sanguis Christi sunt illa, quibus caro nostra alitur, Ergo corpus ore manducatur, & sanguis ejus ore bibitur. pag. cit. 78. Quid verò opuserat Iohannes, docere me, quâ ratione è verbis illis Irenæi colligendum esset illud, quod ego ex iis colligendum esse volebam, cum tu ad eò expedite conclusionem meo loco colligere atque inferre potueris? Equidem tuum non erat, partes argumentandi, mihi competentes, præripere, & si tamen ita voluisses, debuisses omninò propositionem majorem rectius, plenius, & hoc modo concipere: Quodcunque corpora nostra percipiunt ut eo, ex ipsis Irenæi verbis alantur, ne sint corruptibilia, sed spem resurrectionis habeant, id ore manducatur & bibitur. Corpus & sanguis Christi sunt illa quæ corpora nostra perci-

percipiunt, ut illis alantur, ne sint corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia, Ergo. Tu verò statim accingeris ad demolitionem argumenti à te constructi. Ergone, inquis, putas Irenæum adeò ineptum fuisse, ut corpus & sanguinem Christi propriè dictum crederet esse talia, quibus caro nostra alatur? Quid, quæso, illud est, carnem nostram aliquà re ali? Nihil aliud, credo, quam rem eam quà alimur, in corporis & carnis nostræ substantiam converti, indeque corpori nostro aliquam partem apponi? Si igitur carnem nostram corpore & sanguine Christi propriè dictis ali, Irenæum statuisse putes: tri- buendum Irenæo erit quod statuerit, corpus & sanguinem Christi nostri corporis substantiam converti, indeque corpori nostro aliquam partem apponi? Quod si de sancto atque erudito viro tam absurdè suspican- dum non videatur, non statuendum item erit, quod Irenæus carnem nostram à corpore & sanguine Domini ali ac nutrirî scripsit, mentem ejus fuisse hanc, quod caro nostra à corpore & sanguine Christi propriè dictis, & ex virgine oriunda alatur, sed verò mentem ejus fuisse hanc, quod caro nostra alatur corpore & sanguine Christi figuratè dictis, id est, pane & sanguine eucharistiæ, quæ & ipsa corpus & sanguinem Christi sapissimè à Patribus dici, satis constare potest. pag. 79. 80. Similia ad verbum penè repetis pag. 97. Et descripsisti totam illam obiectionem à Marci Antonii de Dominis libro v. de Republ. Ecclesiast. cap. vi. §. xxii. ubi ille verbis quibusdam Iustini hunc ipsum arietem admovet; admovet quoque deinceps §. xxiv. & sequ. his ipsis Irenæi verbis. Respondeo vero Iohannes, in Irenæi verbis me nihil cernere inepti; videre autem te ipsum ineptire, qui unum quidem attenderis apud Irenæum, videlicet quando ille dicit, carnem nostram corpore & sanguine Domini ali ac nutrirî, alterum tamen nolueris observare, quando idem sanctus simul docet, ali carnem nostram isto cibo & potu, non ad satietatem ventris, aut ad maciem aliquam suam explendam, sed ali, ut corpora nostra jam non sint corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Vcl ex hoc nutritionis illius sine colligere

debuiffes, nutritionem hic non aliquam naturalem, sed super-
 naturalem ab Irenæo indicari, ut solet finis dare proportio-
 nem mediis. Apage itaque hinc Iohannes, cum nutritione
 illâ tuâ Marc-Antonianâ, physicâ, quâ *res quâ alimur, in corporis
 nostri substantiam convertitur, indeque corpori nostro pars aliqua appo-
 nitur.* Ali carnem nostram corpore Domini, dixit Irenæus,
 non utique conversione substantiæ carnis Christi in nostram,
 sed *évèpyntix* *αἵς*, dum caro Christi in sacrâ cœnâ sumpta, nostro
 corpori virtutem communicat, ut possit è corruptione iterum
 emergere, & ad pristinam integritatem redire. Hic attexis su-
 perioribus illis verbis Irenæi, gemina ista, quæ in libro ejus quinto
 leguntur: *Quando mixtus calix, & fractus panis, percipit verbum
 Dei, fit eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus (sanguine
 & corpore Christi) augetur & subsistit carnis nostræ substantia. Quo-
 modo carnem (nostram) negant capacem donationis Dei quæ est vita
 æterna quæ (caro nostra) sanguine & corpore Christi nutritur.* Et
 allinis iterum; Ecce, ait & hic, substantiam nostræ carnis, ex sangui-
 ne & corpore Christi augeri & subsistere: item, sanguine & corpore
 Christi carnem nostram nutriri. Quæ & ipsa non de corpore & san-
 guine Christi propriè dictis, & ex virgine oriundis accipienda sunt,
 sed de pane & vino Eucharistiæ, quæ & ipsa corpus & sanguis Christi,
 & quidem figuratè à Patribus dicuntur. Cujus rei plurima te exem-
 pla congesisse dicis in libro secundo Dissertationum sacrarum, & præ-
 cipuè in Cap. ejus XV. ubi quippe ostenderis, Patres sapissimè sic loqui,
 corpus Christi videri, tangi, gustari, frangi, immolari, in sto-
 machum descendere, in terram cadere, & id genus alia pati.
 Subjicis manifestum ejus rei exemplum superiorem quam ad me scripse-
 ris epistolâ, & hujus quidem pag. 90. allegatum, quod Gregorius M.
 scripserit: Eodem momento (corpus Ch.) & in cælum rapitur
 ministerio Angelorum, consociandum corpori Christi, & ante
 oculos sacerdotis in altari videtur. Ait hic, inquis, corpus Chri-
 sti ministerio Angelorum in cælum rapi, consociandum corpori Christi.

Quod

Quod non de corpore Christi propriè dicto & ex virgine oriundo intel-
ligi potest, sed necesse est ut de pane eucharistiæ intelligatur. Corpus
Christi propriè dictum & ex virgine natum, hodiè nec in cælum rapit-
tur, ubi quippe jam est, nec consociatur corpori Christi (sic enim corpus
Christi consociaretur sibi ipsi) nec ante oculos Sacerdotis in altari vi-
detur. Sed ad verba Irenæi ut redeam, quod per corpus & sangui-
nem Christi in illis, non corpus & sanguis Christi propriè dicta, &
ex virgine oriunda intelligenda sint, syllogismo nudo atque explicito
hic probo: Corpus & sanguis Christi propriè dicta, & ex virgi-
ne oriunda, non sunt talia, quibus nostra corpora ali, nutrirî, &
augeri possunt. Corpus & sanguis Christi, de quibus Irenæus
dicit, sunt talia, quibus corpora nostra ali, nutrirî & augeri pos-
sunt. Ergò corpus & sanguis Christi de quibus Irenæus dicit,
non sunt corpus & sanguis Christi propriè dicta, & ex virgine
oriunda. pag. 81. 82. Respondeo iterum ad verba ista Irenæi,
modo quo paulò ante feci; quando ille inquit, è pane & vino,
percipientibus verbum Dei, fieri eucharistiam corporis & sanguinis
Christi, ex quibus (sanguine & corpore Christi) augeatur & subsi-
stat (consistat, habet editio Ioh. Iacobi Grynæi) carnis nostra sub-
stantia, de auctione & nutritione quadam supernaturali eum lo-
qui, quâ caro nostra, ut statim sequitur, fiat capax donationis Dei,
quæ est vita æterna, capax immortalitatis. Eucharistia secundum
eundem Irenæum, est aliquod aggregatum, constans ut ille e-
gregiè loquitur, duabus rebus, terrenâ & cælesti. Quod si ergò
jam, panis & vinum, percipientia verbum Dei, fiunt Eucharistia,
res cælestes panis & vino accedere necessum est. Non itaque
deuò pane & vino, quæ & ipsa corpus & sanguis Christi figuratè
à Patribus dicantur, sermo hic erit Irenæo, quando illis (corpore
& sanguine Christi) augerî & subsistere (consistere) carnis nostre
substantiam eo fine, ut capax sit donationis quæ est vita æterna, do-
cet. Panis enim & vinum, de se virtutis illius minimè sunt, ut
carni nostræ immortalitatem & vitam æternam possint confer-

re, nec scriptura ullibi docet, Deum panem & vino virtutem eius modi suprà naturam eorum collaturum esse. Porro, symbola externa sacrae Cœnæ, panem & vinum, à Patribus *corpus & sanguinem Christi* aliquando vocata esse, infrà ipse dicam. Locum Gregorij Magni, non è Lombardo & Gratiano, ut epistolâ superiore pag. 90. facis, debuisses citare, *nec alienis oculis*, ut mihi infrà objicis, *videre*. Constat enim, Lombardum & Gratianum dicta veterum sæpè truncata citare. Ne in ipso quidem Dissertation. libr. II. cap. xv. ad quod in epistola jam nominatâ, lectorem remittis, indicare potuisti, ubi illa verba in scriptis Gregorij M. habeantur. Inquire itaque verba, & integra adscribe. Equidem illa è libro IV. Dialogor. cap. 58. ab aliis citari solere, observavi. De quibus Dialogis cum dubitetur adhuc, genuini & incorrupti sint, nec ne, verba abs te producta non adeò magni fuerint valoris. Certè si tu aliquid in ijsprehendisti quod contrà nos faciat, ego deprehendo aliud, quod contra te nihilo faciat minus. Tu ex ijs hoc urges, *corpus Christi propriè dictum, in cælum non posse rapi, nec consociari corpori Christi*. Sed dic mihi vicissim Iohannes, quomodo panis quem tu hic pro corpore Christi accipis, eodem momento ut Gregoriana illa verba habent, & in cælum rapiatur ministerio Angelorum, & ante oculos sacerdotis in altari videatur. An tu permittes, eodem momento unum corpus esse in pluribus locis? Rectius itaque Gregorij illa verba planè omisisses Iohannes. Ad syllogismum tandem illum tuum nudum, facilis responsio est ex ijs, quæ ad verba Irenæi jam à me sunt ptolata. Est videlicet ambiguitas in vocibus *alendi, augendi, nutriendi*, quæ vel de nutritione & augmentatione naturali, ad finem itidem naturalem; vel de nutritione &c. supernaturali, ad finem supernaturalem possunt intelligi, sicuti antea à me est indicatum. Iam, si *ali, nutrir, augeri*, in prædicato majoris & minoris sumantur de nutritione naturali, major est vera, sed falsa sit minor. Sicut autem verba *ali, nutrir,*

nutriri, *augeri*, in maiore de nutritione naturali, in minore de supernaturali accipiantur, oriuntur quatuor in syllogismo termini. Et ita syllogismus ille tuus, inanis & nudus ad te autorem suum revertitur.

XVI. Hic tibi porrò imaginarium aliquod stadium extruis, & me, si posses, velles tibi adungere, cum quo illud decurreres. *Sed hic tu mihi regeres fortassis, inquis, quod alijs regestum memini ab alijs, videlicet quod Irenaeus scripsit, corpore & sanguine Christi, ali, nutriri, ac augeri corpora nostra, id quidem de corpore & sanguine Christi propriè dictis, & ex virgine oriundis intelligendum esse; sed non intelligendum esse de eisdem in substantià proprià, sed in pane & vino. Qua de re Theologi Wirtembergici in Refutatione Compilationis Cingliana quam vocant pag. 620. sic disserunt. Et allegas verba ipsa, eaque deinde prolixè impugnas. Quia autem responsione illà ego nec usus sum, nec cupiam uti, frustra hic per aliquot paginas declamasti mi Iohannes. Post hæc probare mihi satagis, veteres vocibus corpus & sanguis Christi, subinde nihil aliud, quàm panem & vinum eucharistiæ designasse. pag. 89. ipsos veteres diserte scripsisse, appellationem corporis Christi, ipsi pani inditam esse, & quidem per tropum quandam, quod ex Theodoro confirmare conaris, pag. 94. 95. Quod ad prius atinet, verum est, veteres vocibus corpus & sanguis Christi, de pane & vino eucharistiæ esse usos. Quàdè re nemo te rectius informaverit, quam is, quem communem Praeceptorem plus vice simplici nominasti Cl. Calixtus. Ille Disputat. xi. de Transsubstantiatione contra Pontificios §. LIV. ita loquitur. Hieronymus memorat Epist. 4. Exuperium Tolosanum corpus Domini canistro vimineo, sanguinem vitro portasse. Benedictum enim panem & vinum, veteres corpus & sanguinem Domini appellare ceperant, propter causas expositas numero IX. & X. Qualem itaque huius loquendi modi causam esse existimaverit vir doctissimus, è citato §. X. Disputat. ejusdem argumenti prioris nunc tantum li-*

ceat afferre. Si, inquit ibi, à quopiam confici posset panis, quo cœ-
 mesto simul & semel, ex beneplacito & libero decreto auctoris sive arti-
 ficis, menti comedentis universa inderetur sapientia, tum rectè dici
 posset prabito pane, Accipe, comede, hoc est sapientia; quod scili-
 cet dum comedit panem, eadem operâ sapientia compos sit futurus. præ-
 fertim si unio & nexus ille non a rerum naturâ, sed ab arbitrio pendeat
 impertientis, ut in exemplo quod modo fingimus, & in mysterio quod
 tractamus. Vbi profectò verba accipe, comede, tanquam conditiones
 capiendæ fuerint, nempe si accipis & comedis, est sapientia. Si negli-
 gis accipere, non est quidem tum sapientia, quasi panis ea sit inclusa, vel
 citrà eum reapse alicui communicari nequeat; est tamen sapientia aliâ
 quadam ratione, quia videlicet ex arbitrio & decreto auctoris ita cohæ-
 rent panis & sapientia, ut sumpto pane non possis non particeps fieri sa-
 pientia. De hoc itaque mirabili, & istum in usum destinato pane, ET
 IAMSI NEMO adhuc VTATVR dici possit, est sapientia
 QVEMADMODVM de pane consecrato scriptores ecclesiastici e-
 nunciant, quod SIT CORPVS CHRISTI. Hæc ita ibi aptis-
 simè Calixtus. Disputatione autem secundâ, quam priore lo-
 co produxi, §. LV. de appellationibus quas veteres sacræ cœnæ
 imposuerint, ita porrò tradit: *Varias huic sacramento (veteres)*
indiderunt appellationes. Et cum de appellatione eucharistia ex
 Irenæo ageret, quid inquit est eucharistia corporis & sanguinis Chri-
 sti? Quid, nisi *εὐχαριστία τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου*, quando videli-
 cet iuxta institutionem Domini sumitur, corporis & sanguinis Christi
 Sicut autem benedictus panis & calix dicuntur eucharistia, etiam-
 si gratiarum actio jam facta præterierit: ita quoque dicuntur corpus
 & sanguis Domini, & QVAMVIS NONDVMSVMAN-
 TVR, quando tamen sumentur, itidem sumentur, sive manducabi-
 tur corpus, & bibetur sanguis Domini. Περὶ αὐτῶν igitur & Presbyte-
 ri Christi corpus ore sacro conficere dicuntur, quemadmodum lo-
 quitur Hieronymus epistolâ I. ad Heliodorum: Nempè ad eorum præ-
 ces & benedictiones, panis communis mutatur & transit in panem Sa-
 cramentum.

eramentalem, qui, quando manducabitur, erit *σάρκα* corporis Christi, siue organum vel medium, cuius interventu manducantes corporis Christi participes reddantur. Hinc Ambrosius de ijs, qui mysterijs initiantur Cap. IX. Præter naturæ ordinem virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex virgine est, scilicet id ipsum est, quod natum ex virgine. Hieronymus iterum epistolâ 85. ad Evagrium: ad Presbyterorum preces, Christi corpus sanguisque conficitur, id est, materia talis efficitur, ut sumpta, si *σάρκα* corporis & sanguinis Christi, qualis non esset, nisi preces istæ præcessissent. Hactenus Calixtus. Concedo itaque, in verbis Chrysostomi, ad Innocentium Episcopum Romanum scribentis, & lamentantis sanctissimum sanguinem Christi à militibus in tanto tumultu in prædictorum militum vestimenta esse effusum, per sanguinem Christi, vinum eucharistiæ propter causam in verbis doctissimi Calixti allatam, denotari. Locum illum Chrysostomi jam olim produxit Chemnitius Exam. Concil. Trid. de asservando sacramento Cœnæ, produxit itidem eum Cl. Calixtus Tractatu de Comm. sub utraque specie §. 154. Quod autem Theodoretus à te pag. 94. 95. allegatus eò usque provehitur, ut dicat, Christum ipsum symbola quæ à nobis videntur, appellatione corporis & sanguinis sui honorasse, sicut non recte se habet (ubi enim Christus dixit, Hic panis est corpus meum?) ita non minore jure à me rejicitur, quàm à te pag. 73. rejiciebatur ejusdem Theodoreti asserio, quod verba Capit. vi. Ioh. versic. 51. Panis quem ego dabo, est caro mea, essent parallela atque æquipollentia verbis Christi alteris illis, Hoc est corpus meum. Tu verò postquam enarrasti, veteres per phrasen corpus Christi & sanguis Christi, subinde non corpus & sanguinem propriè dictum sed panem & vinum eucharistiæ intelligere — eundemque panem, atque idem vinum, earum rerum, quarum sacramenta sunt, i. e. corporis & sanguinis Christi nomina accipere, ad me iterum conversus, Vides inquis, mi Titi, quòd nihil verbis istis Irenæi effeceris! Ipsa illa verba Irenæi, quibus dicit, corpore & sanguine

Christi ali, nutriri atque augeri corpora nostra, *argumento tibi esse poterant, per corpus & sanguinem Christi non corpus & sanguinem Christi propriè dictum, & ex virgine oriundum, intelligendum esse, sed panem & vinum eucharistiæ. Neque enim Irenæus adeò absurdus fuisse existimari potest, ut corpore & sanguine Christi propriè dictis — nostra corpora nutriri atque augeri i. e. corpus & sanguinem Christi, in substantiam corporum nostrorum verti, indeque corporibus nostris partem apponi statueret. De pane & vino eucharistiæ commode talia dici atque intelligi possunt, quod alant, nutrant atque augeant corpora nostra.* pag. 98. Tædet verbum ampliùs addere. Ex ijs quæ jam sunt disputata, vides ipse mi Vorsti, quàm nihil objectiunculis tuis, contrà verba Irenæi abs me producta effeceris. Certè mi Iohannes, qui putas Irenæum de nutritione naturali loqui, si corpus tuum, nullo alio quàm *pane eucharistiæ*, alendum ac nutriendum fuisset, vix trama figuræ tibi dudum reliquæ erat futura.

XVII. Proximè à verbis Irenæi, produxeram illa Tertulliani, libro de resurrect. carnis cap. iix. *CARO corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* Et libro de oratione cap. vi. *corpus ejus in pane censetur.* Ad ultima verba nihil respondes. Prioribus ista sequentia opponis: *Quia non animam, sed carnem corpore & sanguine Christi vesci, animam verò de Deo saginari ait, facile intelligitur per corpus & sanguinem Christi, non corpus & sanguinem Christi propriè dictum ipsum intellectum velle, sed panem & vinum eucharistiæ.* Unde verò adeò facile intelligitur per corpus Christi Tertullianum non intellexisse corpus Christi propriè dictum? an inde, quod carnem nostram corpore illo vesci ille dixerit? Ecquæ fuerit petitio ejus quod in principio erat, si hæc non fuerit? Urges autem porro; *Sic corpus & sanguinem propriè dictum intellexisset, non ille cibum corporis & anima ita discrevisset, ut carnem nostram corpore & sanguine Christi vesci, animam vero de Deo saginari diceret; sed ipsam quoque animam corpore & sanguine*

ine Christi vesci scripisset pag 99. Quid dicis mi Iohannes? An non *resci* est actus qui corporeis instrumentis peragitur, & corpori adeò adscribendus? Quorsum itaque dixisset Tertullianus, *animam* quoque *vesci* corpore & sanguine Domini? Aptissime utique Tertullianus *carnem nostram* (corpus nostrum) dixit *vesci corpore & sanguine Christi* proprie dictis (etsi modo supernaturali) &, quia caelestis illa alimonia, corpore nostro recepta, animam cum primis *saginat* (supernaturaliter nutrit) commodum idem adjecit, *vesci carnem* (nostram) *corpore Christi ut anima saginetur de Deo*. Citaveram ego porrò hæc sanctorum veterum loca. S. Cyprian. sermone de lapsis; *sanctificata ORA caelestibus cibis, post corpus & sanguinem Domini, profana contagia & idolorum reliquias respuerunt*. Et iterum: *Mortiferos idolorum cibos penè adhuc ructantes, ex halantibus nunc etiam scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, DOMINI CORPUS invadunt*—*spretus his omnibus atq; contemptis, vis infertur corpori ejus & sanguini, & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquant, quam cum Dominum negaverunt*. Rursus: *jacens stantibus, & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ORE polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur*. S. Hilarius libr. iix. de Trinitate: *Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus?—Hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit*. Theodoretus in i. Cor. xi. *Quemadmodum probris affecerunt Christum Iudæi, ita ignominia afficiunt qui sanctissimum ejus corpus immundis MANIBVS accipiunt, & in pollutum & incestum OS immittunt*. Ambrosius apud Theodoretum histor. Ecclesiast. libro v. cap. xvii Theodosium Imperatorem objurgans, & à communione ob cædem in urbe Thessalonicâ commissum aticens. *Quò obsecrò ausu, inquit, MANVS injustæ cædis erubere repressas extends, & eisdem sacrosanctum Domini corpus accipies aut,*

quomodo preciosum ejus sanguinem ORI admovebis, qui tantum effuderis sanguinem dictatu furentis animi? Respondes tu primum ad locum Cypriani, his sequentibus verbis: *Hæc quoque tibi argumenta per se esse poterant, ut corpus & sanguinem Christi, non de corpore & sanguine Christi propriè dictis acciperes, sed de pane & vino eucharistiæ. Facile enim intelligitur, corpori & sanguini Christi propriè dictis, vim inferri non posse.* pag. 100. Ergo hoc mihi argumento esse poterat, Cyprianum non loqui de corpore & sanguine Christi propriè dictis, sed de pane & vino eucharistiæ, quia ille de vi corpori Christi illatâ loquatur, quæ verò corpori ejus propriè dicto inferri nulla possit. Sed quis nescit rō vim inferre sæpius non physicè sed moraliter accipi solere, ut idem sit ac indignè, contemptum, injuriosè habere? quomodo dicimus, legibus aliquem vim facere, veritati vim facere. Simili certe modo Cyprianus libello de disciplinâ & habitu virginum, ubi *in vestium insignia, & lenocinia formarum* quæ vocat, invehitur, de sæminis faciem fuco pingentibus, pronunciat, *manus Deo inferre, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt.* Hæc ergo morali ut sic vocem, significatione si phrasin *vim inferre* hîc capiamus, sicut & antecedentia verba *exhalare scelus suū sauces, & contagia funesta redolere*, sensu non physico, sed morali veniunt intelligenda, quidni corpori Domini propriè dicto *vim inferri*, aptissimè dixerit S. Cyprianus? Certè non longè abibit locutio ab Apostolica illâ, *rerum fieri corporis & sanguinis Christi.* Argumentum itaque quo me adigere volebas, ut *corpus & sanguinem Christi*, Cyprianum de corpore Christi impropriè dicto, pane eucharistiæ intellexisse, tecum existimarem, pretij planè nullius est mi Iohannes. Reliqua testimonia, hæc unâ brevi responsione dimittis: *Nunc quia in eam sententiam complura quoque alia sunt producta, adhuc proclivius tibi esse potest credere, quod in his quoque proximis non aliter sese res habeat.* Ex Theodoro quoque, Ambrosio, & aliis quibusdam quæ allegasti, phras-

ses

ses corpus Christi & sanguis Christi eodem significatu, figurato puta, in se habent. pag. 101. Non poteras expeditius Iohannes. Cypriani verbis modò repetitis proximè subjeceram hæc Hilariana libr. i. ix. de Trinitate: *Si enim verè verbum caro factum est, & nos vere verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus?* — Hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Quodnam mi Iohannes, vel levissimum indicium in his est, carnem quam cibo Dominico sumimus, impropriè esse capiendam? ecquid persuadeat ut impropriè dictum existimemus, carnem & sanguinem accepta, efficere ut Christus sit in nobis? Tu certè nihil potuisti allegare. De locis Theodoreti & Ambrosij, mox iterum te conveniam.

XIIX. Sequitur testimonium Cyrilli, in quo mihi eripiendo mirè & verbosus es, & operosus. Adscribis primum verba Cyrilli qualia ego latinè produxeram, & addis mea verba, quibus super illis productis differueram hunc in modum: *Hic in prioribus verbis, corpus & sanguis Domini contradistinguantur speciebus panis & vini, sub quibus res illæ caelestes sumantur; nec, si nudum panem & vinum acciperemus, per id divinæ consortes naturæ nos effici, Cyrillus dicere potuisset. Quod si autem corpus & sanguinem Domini in membra nostra recipimus, quomodo non ore illa ante sumpserimus?* Subjungis nunc verbosissimam tuam *ῥεῖσις*. Hæc tuas collectiones, ex mala versione (qui tibi hic præivit, Marc. Antonius libro v. de Rep. Ecclesiastica c. vi. §. 74. vocat versionem latinam captiosam nec bonâ fide redditam) Iohannis Grodecij fecisti. Debuisses autem non alienis oculis videre, sed ipsum textum authenticum Græcum consulere, quite alia docere potuisset. pag. 104. Ita est mi Iohannes, & recitavi ego verba Cyrilli, ut à Grodecio latinè facta erant, & ex ijs collectiones feci. Nec usus sum alienis oculis, sed Græcum textum qui è regione latinæ versionis in editione Grodecianâ incedit, introspexi, & cum versione contuli.

contuli. Malam autem hîc versionem Grodecij esse, quod tu pertendis, fateor me nondum deprehendisse. Tu tamen Græca Cyrilli verba integra hîc describis, & tum latinè, ut causæ tuæ serviant ea sic vertis: *Omni cum fide (panem & vinum) ut corpus & sanguinem Christi accipiamus. Nam in figurâ sive signo panis datur tibi corpus Christi, & in figurâ sive signo vini, datur tibi sanguis Christi, ut, dum corpus & sanguinem Christi accipis, ejusdem cum illo corporis & sanguinis fias. Ita enim & Christophori finis, cum corpus & sanguis ejus in nostra membra distribuuntur. Sic secundum beatum Petrum divinæ naturæ participes finis.* Hactenus tua versio, è qua deinceps collectiones meas impugnas. Primò, inquis, non ait Cyrillus, corpus & sanguinem Christi in membra nostra recipi, sed verò eadem in membra nostra ἀνατίθεσθαι distribui, at videlicet corporis Christi una particula ad hoc, alia ad aliud membrum deferatur, eique apponatur. Acutissimè! An ergò id, quod in membra nostra distribuitur, non amplius in illis ipsis recipitur? an dare & accipere non amplius è regione sibi respondent; Et quare Græcum verbum ἀνατίθεσθαι vertendum præcisè fuerit distribui? Imò, ita particulatim distribui, ut una particula ad hoc, alia ad aliud membrum deferatur, eique apponatur? an non, si vocem ἀνατίθεσθαι placeat reddere distribui, corpus Christi distribueretur etiam in membra nostra, si totum & integrum in plurium diversorum sumentium corporibus recipiatur, etsi in nullo eorum concoctum, particulatim distinctis his & illis membris apponatur? Quid cogat significatum distribuendi ita ut tu facis, coarctare? Neque verò verbum ἀνατίθεσθαι, unam distribuendi significationem habet. Significat etiam tradere, porrigere, reddere, restituere. Frivolum itaque prorsus est, quando ex hac tuâ hypothesi pronuncias; ex hoc quod Cyrillus corpus & sanguinem Christi per membra nostra distribui ait, colligendum mihi fuisse, Cyrillum non corpus & sanguinem propriè dicta, sed panem & vinum eucharistiæ intellecta velle. pag. 104. 105. Frivolum iterum est quando

quando scribis, cum igitur hæc ita se habeant, facile jam de cæteris, quæ in verbis Cyrilli apparent, liquere posse. pag. cit.

XIX. Pergis autem verbis Cyrillianis fidiculas admove-
re. In initio verborum istorum, inquis, non dicit, accipienda esse
corpus & sanguinem Christi. Nam in Græco est, ὡς σῶμα & χυ-
μαί & μετὰ λαμβάνωμεν Χεῖρ. Vult ergo ille, panem & vinum
eucharistiæ VT corpus & sanguinem Christi accipienda esse. Quæ
locutio talis est, qualis est illa Matthæi, XVI, 5 ὡς τὸ φῆμι αὐ-
τὸν Εἶχον. Hic Iohannes & Propheta pro una eademque personâ sup-
ponunt. Sic &, quod Cyrillus ait, panem eucharistiæ VT corpus Chri-
sti sumendum esse, per panem eucharistiæ & corpus Christi una eadem-
que res denotatur. pag. 106. Respondeo, quod ad particulam ὡς
attinet, notum in vulgus sanè esse, eam quandoque non simili-
tudinem, sed rem ipsam denotare. Tale quid contingit Iohan-
nis I, 14. vidimus gloriam ejus ὡς μονογενὴς ut unigeniti à Patre I.
Petr. I, 19. precioso sanguine ὡς ut agni immaculati. Quod & Ger-
manica lingua imitatur. Ita dicimus, Er thut als ein ehlicher
Mann/ & similia plura. Admitto itaque, particulum ὡς, signi-
ficare & hic veritatem rei quam accipimus, quæ est corpus &
sanguis Christi. Quod autem tu fingis, Cyrillum per panem eu-
charistiæ, & corpus Christi unam eandemque rem denotare, volun-
taria est petitio ejus, quod erat in principio. Dixit de pane
Cyrillus, eo sumpto nos μετὰ λαμβάνωμεν ὡς σῶμα & χυ-
μαί; intelligendus ille tum fuerit, panem corpus Christi Do-
mini dixisse eo sensu, qui cum phrasi Paulina convenit, quod
panis sit κοινωνία corporis Christi; sit ille, quo sumpto tam cer-
rò sumatur corpus Christi, quàm si panis ipse esset corpus
Christi. Nisi ita Cyrillum aliosque Patres exponi permittas,
in falsitate eos cogeris relinquere, & ceu à verbo Christi & A-
postolorum devios factos, prostituere. Cedò enim, dico ite-
rum iterumque, ubi scriptura, per panem eucharistiæ, & corpus
Christi, unam eandemque rem denotat? ubi scriptura ita loquitur;

H

Hic

Hic panis est corpus meum: aut, panis est corpus Christi? Sed tamen, si te audimus, Cyrillus quoque manifestè idem, quod per panem & corpus Christi una eademque res denotetur, declarat in citatæ Catech. quartæ initio, his quidem verbis: Qui aquam quondam in vinum mutavit, annon is dignus est cui credamus αἶνον μετὰ βαλὼν εἰς αἶμα, quod vinum mutet in sanguinem? Quibus tu confestim addis: Cum Dominus aquam in vinum mutavit, non materiæ aquæ adhectæ est materia alia quæ quidem vini esset; sed eadem materia quæ aquæ fuerat, facta deinde fuit materia vini. Pari modo igitur, quod Cyrillus ait, Dominum vinum mutare in sanguinem Christi, non vult ille, materiæ & substantiæ vini substantiam aliam, & quidem sanguinis Christi adjungi; sed mens ejus est, eandem materiam, quæ antea nudi vini fuerat, esse deinde materiam sanguinis Christi, id est, vini eucharistiæ quod propter divinam ipsi additam virtutem & efficaciam appellatione sanguinis Christi honoratum est, quomodo Theodoretum suprâ loquentem vidimus. pag. 106. 107. At, mi Iohannes, quæ similia sunt in uno, non sunt in omnibus continuò similia. Vnde tu probas, Cyrillum voluisse, mutationem aquæ in vinum in Canâ Galileæ factam, & mutationem vini in sanguinem in sacrâ cœnâ, ab omni parte similitudinem habere? Potentiam facientis utrobique eandem agnoscit Cyrillus, sed per hoc ipsam mutationem non agnoscit continuò esse prorsus similem. Ex aqua factum est vinum per intrinsecam aquæ immutationem, è vino juxta Cyrili aliorumque Patrum locutionem fit sanguis Christi, sed modo alio, eo nimirum quem scriptura indicat, quando è vino antea vulgari, fit jam vinum quod est *κοναρία* sanguinis Christi, vinum quo sumpto tam certo sumitur sanguis Christi, quam si ipsum esset transmutatum in sanguinem Christi.

XX. Sequitur tertia tua in verbis Cyrillianis cavillatio. Porro Cyrillus dicit, ἐν τῷ πᾶσι ἄρτοις, in figurâ sive signo panis, dari corpus Christi. Nihil ille de speciebus panis & vini habet, sub quibus

bus detur corpus Christi, quomodo verba ejus tu intellexisti, intellexerat etiam Grodecius pag. 107. Scio scriptoribus ecclesiasticis speciem panis, speciem vini, speciem aquæ, speciem laridi, nihil aliud esse quàm panem, vinum, aquam, laridum (quod & ego Responso ad superiorem epistolam §. L. in fine, ex Blondello attuli) atque ita vocem species, in talibus redundare atque ociosam esse. Ad quem modum igitur & tu scripsisti, corpus & sanguinem Christi, contradistingui speciebus panis & vini, id est, contradistingui ipsi pani & vino, sub quibus res celestes sumantur. Verum Cyrillus talem vocem non usurpat, cui vox species pleonastica respondeat. Scripsit enim & τῷ πρῶτον ἄρτος in figurâ seu signo panis datur tibi corpus Christi. Verti equidem sic potest ut Grodecius fecit, sub specie vel in specie panis datur tibi corpus Christi, verum ita vox species non pleonastica est, uti tu eam usurpas, sed habet significationem signi seu figuræ. pag. 108. Primò dicis, nihil Cyrillum de speciebus panis & vini habere. Mox tamen stylum vertens, largiris, verti quidem sic posse vocem τῷ πρῶτον, ut Grodecius fecit. Verum ita vocem τῷ πρῶτον speciei, non esse pleonasticam. Quasi verò vox speciei pleonastica sit, redundet atque ociosa sit, quando speciem panis, speciem vini, speciem aquæ, dicam, & nihil aliud, quam, aquam, vinum, laridum intelligam! Speciei vocem antiquis naturæ & substantiæ synonymon habitam, dicebat Responso ad superiorem tuam epistolam §. L. à me citatus Un. Blondellus. Ecquis intelligens jam dixerit, pleonasticè loqui, qui speciem panis, vini, hoc est, substantiam panis, vini, diceret? Nihil aliud quidem quoad rem ipsam dicit, qui speciem panis, vini, dicit, quàm si diceret panem, vinum. Hinc verò non sequitur, speciei vocem redundare, ociosam esse & πλεονάζειν. Etiam, si quis dicat; homo mortalis non penetrat arcana Dei, idem fanè quoad rem dicit, ac si dixisset, homo non penetrat arcana Dei. Quis verò ociosam & redundantem idè ibi dixerit mortalis vocem? Cum alium fanè in animo conceptum gignat auditus terminus complexus homo

alis, quam incomplexus ille *homo*; & *species* (substantia) *panis*,
 quam, *panis*. Cum tu Iohannes in superiore tua epistola pro-
 positionis huius meæ *panis non est corpus Christi identicè*, sensum
 sic explanares, *substantia panis non est substantia corporis Christi*, pu-
 tistine vocem *substantia* tum *πλεονάζει*? Si autem illa vox ibi
 non *πλεονάζει*, nec hoc loco vox *species* rectè dicitur *πλεονάζει*,
 quia, sicut Blondellus observavit, *species* hîc idem denotat ve-
 teribus, quod *substantia*. Et fac demam *speciei* vocem, voci *panis*
 appositam *πλεονάζει*, quid hoc impediret, quo minus vox *τύπος*
 per *speciem* hîc possit verti? Nihil; nec ullo jure Grodecium hîc
 fugillasti. Porro, etsi tibi concedatur, ut vocabula *εἰς τὸ πρῶτον*
 reddas, non, *sub speciei*, sed *in figurâ panis*, adhuc tamen verum ma-
 net, Cyrillum inter panem & corpus Christi distinxisse, & sic fal-
 sum esse quod tu contendis, *per panem & corpus Christi unam ean-
 demque rem hîc denotari*. Si enim corpus Christi contradistingui-
 tur figuræ corporis Christi, quæ figura sive signum est panis, cer-
 tè panis & corpus Christi non potest una eademque res esse. Ipse
 certè hic coactus es rem fateri. *Urget tu*, inquis, *me compellans*,
quod panis & corpus Christi (à Cyrillo) hîc contradistinguantur; Et
 statim addis, *Quod quidem ita se habet*. Nihilominus ex eo non pu-
 tas mi Iohannes, colligendum esse quod ego velim, quod *pani eucharis-
 tiæ corpus Christi adjunctum atque unitum sit*. Quare verò non sit
 illud colligendum? Quia genuinus verborum Cyrilli sensus, vel it,
 nolit, tuo iussu hîc est, *panem eucharistiæ dari VT figuram & signum*
corporis Christi, & vinum VT figuram & signum sanguinis Christi. Ni-
 mirum, pergis, rationem istis verbis reddere voluit, cur in periodo præ-
 cedente *panem & vinum VT corpus & sanguinem Christi accipienda*
esse dixisset, atque ita *panem & vinum nominibus corporis & sangui-
 nis Christi appellasset*. Coherencia enim verborum sic habet: *Omni-
 tum fide (panem & vinum) ut corpus & sanguinem Christi acci-
 piamus*. Nam in figurâ panis datur tibi corpus Christi, & in figurâ vini
 datur tibi sanguis Christi. pag. 110. 111. Tantæ molis erat, ut quæ
 Cyrillus

Cyrillus à sese, temet ipso fatente distinxit, in unum nihilominus idemque, quando tibi commodum erat, conflarentur. Hinc in figurâ, oportet nunc esse, VT figura. Et tamen nil nisi mera petitio τῷ ἐν ἀρχῇ est ista; cum Cyrillus in præcedentibus dixerit, panem & vinum VT corpus & sanguinem Christi accipiendum esse, eo ipso panem & vinum in se, nominibus corporis & sanguinis Christi appellasse. Cur non contrarium potius colligis, & quia ille panem & vinum VT corpus & sanguinem Domini nos sumere dixit, ideò non nudum panem, non panem in se, nec nudum vinum, aut vinum in se, intellexisse, inferes? Panem nimirum VT corpus suum Cyrillus nos sumere dixit, qui panis est ~~non panis~~ corporis Christi, docente Paulo, ut adeò pane illo sumpto, tam certò sumatur corpus Christi, ac si ipse panis esset in se illud corpus Christi. Vide quæ s. præced. xvi. differebat Cl. Calixtus. Petitio principij porro iterum est; in sequentibus illis, τῷ πᾶσι ὁ ἀπὸ τοῦ ἁγίου, &c. rationem Cyrillum reddere, cur in periodo præcedente panem & vinum — nominibus corporis & sanguinis appellasset. Cum enim falsum, & probatum nondum sit, quod in præcedentibus panem & vinum in se, nominibus corporis & sanguinis Christi appellaverit, etiam temerè asseritur, quod Cyrillus in sequentibus eius rei rationem reddere voluerit. Potius cum dixisset, panem & vinum & VT corpus & sanguinem Domini accipi, ne quis id perperam ut tu facis, acciperet, ac si rem unam eandemque vellet esse panem in se, & corpus Christi &c. præst ruere voluit, & declaratione adjectâ indicavit in & sub figurâ, in & sub signo panis, corpus Christi, ceu ab eâ figura diversum, d r. Hic attexis de phrasi ἐν τῷ πᾶσι ἀπὸ τοῦ ἁγίου, eamque confers cum ejusdem generis alijs phrasibus. Cyrillus Alexandrinus, ais, de adoratione in spiritu libr. XV. sic scripsit: se ipsum obtulit Christus simul pro omnibus, ὅς ἐστι ἐν ἰκόνι τοῦ μυστηρίου in vitulo ut in imagine. Item in libr. iiii. in Joh. c. 6. Terum manna ipse Christus est, ὅς ἐστι τῷ πᾶσι τὸ μυστήριον. &c. qui veteribus datus intelligitur in manna, ut in typo seu figurâ.

H 3

Hic

Hic Christum oblatum esse in vitulo in imagine, & Christum datum esse in manna ut in typo seu figura, nihil aliud est, quàm si dictum esset, vitulum oblatum esse ut imaginem Christi, & manna datum fuisse ut typum Christi. Pari modo quod alter Cyrillus dixit ἐν τύπῳ ἄρτος in figurâ panis dari corpus Christi, id nihil aliud est, quàm panem dari ut figuram corporis Christi. Similis sensus etiam illorum est, quæ paulò ante à Patribus Latinis proferebam. Ut quod Ambrosius dicebat, Christum in his terris se ipsum offerre in imagine, panis scilicet, idem est ac si dictum esset, panem hic in terris ut imaginem Christi offerri. Et quod Gregorius dicebat, corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini nunc geri, nihil aliud est quam panem & vinum, ut speciem & figuram corporis & sanguinis Christi geri. Plurima alia in hanc sententiam congeffi in Capite XVI. libri II. Dissertation. sacrarum. pag. 111. & 112. Permittamus Iohannes, hæc ita, ut tu ais, se habere. Cujus firmitatis quæso fuerit hæc tua consequentia; Cyrillus alter dicit, panem dari ut figuram corporis Christi, Ergò hoc ipso excludit illud, quod panis sit *νομιμία* corporis Christi, quod cum pane conjunctum sit corpus Christi? Nullius. Qui unum dicit Iohannes, alterum eo ipso non intendit negare aut excludere, ut tu in scite conaris. Potest & rei præsentis signum esse seu figura. Et verò, verba illa ἐν τύπῳ ἄρτος sub specie, aut, in figurâ panis, datur tibi corpus Christi sequitur manifestè apud Cyrillum, ut dum corpus & sanguinem Christi accipis ejusdem cum illo corporis & sanguinis fias. Ita enim Christophori simus, cum corpus & sanguis ejus in nostra membra dantur (traduntur, recipiuntur) τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἐν ἡμῶν μέλεσιν. Ecce, ita secundum Cyrillum sub specie panis, in figura panis accipimus corpus Christi, ut & figura ac signum corporis Christi sit ille panis, & simul id quod figurat, verè nobis exhibeat; ut sit, quemadmodum toties Paulinâ phrasî (quæ meritò locutionum Ecclesiasticarum lux esse debet) dixi *κοινωνία* corporis Christi.

XXI. Sed jam de istis quoque verbis Cyrilli nostri tibi sumis videndum, quibus dicit, per corpus & sanguinem Christi quæ accipiamus, quæque in membra nostra distribuuntur *συσσώμους & συναίους Χριστοῦ* id est, ejusdem corporis & sanguinis cum Christo nos esse, itemque esse nos *Χριστοφόρους* Christum portantes & divinæ naturæ participes. pag. 114. Adscribam integra tua verba, quibus illa Cyrilliana conaris eludere. Quoniam patet, quid per corpus & sanguinem Christi quæ nos accipere, quæque per membra nostra distribui (sic tu pro lubitu, sine gravi causa, vertisti) ait, sit intelligendum, facile porro & illud constare potest, quid sibi velit, quod ejusdem corporis & sanguinis cum Christo nos esse; itemque Christophoros, id est Christum portantes, & divinæ naturæ participes esse nos, ait. Nimirum, propter ipsum panem & vinum eucharistiæ, quæ nomine corporis & sanguinis Christi sunt honorata, quæque per membra nostra distribuuntur, nos *Χριστοφόρους* Christum portantes *συσσώμους & συναίους Χριστοῦ* ejusdem cum Christo corporis & sanguinis, & *θείας κοινωνίας φύσεως* divinæ naturæ participes esse dixit. pag. cit. Ad hæc ego paucis; quoniam è tuis, quamvis prolixis sermonibus, minimè patuit; per corpus & sanguinem Christi quæ nos accipiamus, quæq; in membra nostra tradantur ac recipiantur, illa intelligi, quæ tu intelligenda volebas, falsum porro & illud erit, propter ipsum panem & vinum eucharistiæ, quæ nomine corporis & sanguinis Christi, etiam hoc ipso loco à Cyrillo sunt honorata, nos *Χριστοφόρους*, & *συναίους & συσσώμους Χριστοῦ* &c. esse dictos. Iam perge; nam Iohannes & reliqua etiam attexe: Ne autem mirum videatur, Cyrillum sic loqui de pane & vino eucharistiæ, quod dum illa edimus, *Χριστοφῶροι* reddamur, & ejusdem cum Christo corporis & sanguinis fiamus; considerandū est quod de baptismo, aliisq; rebus sacris veteres PLANE EADEM dicant. Ioh. Chrysostomus Hom. xx in Ep. ad Eph. Quomodo igitur sumus ex carne ejus & ex ossibus ejus? sicut ille sine coitu natus est ex Spiritu sancto, τὸ πνεῦμα & ἡμεῖς γινόμεθα & τὸ λυτῶ nos quoque hoc finis in lavacro.

Statuit

Statuit igitur ille, non tantum per eucharistiam, sed & per baptismum nos fieri carnem Christi. Cyrillus libr. x. de adorat. Σύσσωμα & συμμετόχα (τῆ Χρείς) γάρ οὐτε ἔστι φάσις διανοήσι τῆ ἰοκτῆ ὡσεὶ ἀναπνύμενα. Concorpores & participes Christi facta sunt gentes, quando videlicet lumine intelligibili sunt repletæ. Hic συσσωμα & συμμετόχα τῆ Χρείς ejusdem cum Christo corporis gentes fieri docet, cum luce verbi divini ipsa perfunduntur. De baptismo rursus Fulgentius, Epist. de bapt. Æthiopis: Nec cuiquam aliquatenus est ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur. Item Leo serm. xiv. de passion. Susceptus à Christo, Christumque suscipiens, non idem sit post lavacrum qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati, sit caro crucifixi (i. e. Christi). Quoniam igitur de baptismo quoque, & de verbo Dei veteres sic loquuntur, quod per illa fiamus caro Christi, & συσσωμα & συμμετόχα ejusdem cum Christo corporis, non mirum est, quod & de sacræ cænæ sic loquantur. Et quomodo ex hoc, quod per baptismum & per verbum Dei συσσωμα & συμμετόχα ejusdem cum Christo corporis nos fieri dicunt, non potest colligi, quod corpus Christi aquæ baptismi conjunctum statuerint: ita neque ex eo, quod per eucharistiam nos συσσωμα & συμμετόχα Χρείς, fieri scripserunt, colligendum est, quod panis & vino eucharistiæ corpus & sanguinem Christi unita statuerint. pag. 114. 115. 116. 117. Sed rursus magno conatu nihil agis Iohannes, quod ego tibi paucis ita commonstro. In ipsa sacræ scripturâ (ne existimes te in Patrum libris aliquid ignoti nobis hic observasse) clarissimè dicimur baptizari in Christum Iesum Rom. vi. 3. dicimur in baptismo induere Christum Galat. iii. 27. dicimur per unum spiritum omnes, in unum corpus (mysticum, cujus caput est Christus) baptizari I. Cor. xii. 13. Equis ergò negaret, in baptismo nos fieri συσσωμα & συμμετόχα τῆ Χρείς? Valde tamen insubidus fuerit & ineptus, qui hinc concludere velit, nos in baptismo, & per verbum EODEM MODO fieri

fieri *συσσάμους καὶ συμμετόχους τῷ Χριστῷ*, Quo, in perceptione S. eucharistiæ, quando juxta ipsius liquidissima verba *hoc*, de quo pronuntiavit *esse corpus suum pro nobis traditum*, ore nostro edimus, fimus *συσσάμους καὶ συμμετόχους* corporis Christi. In baptismo scilicet, fimus *συσσάμους Χριστῷ* ejusdem cum Christo corporis mystici, fimus etiam *participes corporis sanguinisque Domini*, ut Fulgentius dicebat, quia beneficiorum, traditione corporis & effusione sanguinis ejus partorum, reddimur participes; in sacrâ cœnâ fimus *συσσάμους καὶ συναίμους αὐτῷ* ratione corporis ipsius physici, è beatâ virgine assumpti, quod edendo ac bibendo intra nos *λαμβάνομεν* recipimus, sicuti jussit ipse Dominus, *λάβετε, φάγετε*, accipite, edite, hoc quod edere vos jubeo *est corpus meum*. Ut futilissima adedò sit instantia tua, quâ tamen tibi valde videris placere; quomodo ex hoc, quod per baptismum & per verbum Dei *συσσάμους Χριστῷ*, ejusdem cum Christo corporis nos fieri dicunt, non potest colligi, quod corpus Christi aquæ baptismi adjunctum atque unitum statuerint, ita neque ex eo, quod per eucharistiâ nos *συσσάμους καὶ συναίμους Χριστῷ* fieri scripserunt, colligendum est, quod panis & vino eucharistiæ, corpus & sanguinem Christi unita statuerint. Ipse Beza Notis ad I. Cor. XII. vers. 13. agnovit, utriusque sacramenti unum quidem scopum esse, quamvis PE-CUVLIARITER in sacrâ cœnâ dicamur Domino incorporari; etsi illud incorporari, ipse sine dubio perperam intellexerit.

XXII. Postquam ita verba Cyrilli quantum satis videbatur macerasti, putas me ex hisquæ jam dixeris, facile æstimaturum, quid ad cætera Patrum loca quæ congesserim, responsum velis, præcipuè cum ipse jam agnoverim, quod Patres panem aliquando corpus Christi vocent. Ita enim me scripsisse in pag. 118. libelli mei. Atque hic jam insigne artificium comminisceris, quo uno ad reliqua Patrum, à me congesta loca tam faciliè te respondurum putas, quàm vulpes pium comest. Cum ipse concedas, ais, quod Patres panem aliquando corpus Christi vocent, atque ita per cor-

pus Christi nihil aliud quam panem eucharistiæ intellectum velint, quidni in illis quoque locis quæ ex Patribus allegasti, voces corpus Christi & sanguis Christi sic accipias? Et postquam loca Cypriani & Ambrosij ex Theodoro §. præced. xvii. à me repetita, produxisses, denuò idem ingeminas; quia animadvertisti, Patres panem aliquando corpus Christi vocare, poteras credere, ipsis quoque illis verbis (Cypriani & Ambrosij) quæ modo transcripsisti, panem Patres corpus Christi vocasse, & per corpus Christi, nihil aliud quam panem intellectum velle. Si verò vocabula his in locis sic accipere detrectes, quibus tandem locis rem ita se habere existimabis, ut panis eucharistiæ à Patribus corpus Christi sit vocatus? Ne illis quidem locis in quibus corpore & sanguine Christi nostra corpora ali atque nutriri Patres scripserunt, per corpus & sanguinem Christi panem & vinum eucharistiæ intelligere sustines—Velim igitur ex te scire, Titi, quæ tandem loca illa Patrum sint, quibus panem corpus Christi eos vocasse putes. Cæterum quia semel id concessisti, Patres panem aliquando corpus Christi vocasse, allegandus locus Patrum nihil contra me efficies. Quippe in promptu mihi semper erit (nota lector artificium) tua ipsius ingenua confessio, quod Patres panem aliquando corpus Christi vocent, perque corpus Christi nihil aliud quam panem eucharistiæ intellectum velint. pag. 117. 118. 119. 120. Demus verò tibi Iohannes, veteres non raro de pane consecrato quod sit corpus Christi, & de vino quod sit sanguis Christi, enunciasse, per metonymiam scilicet, & quidem DVRIVSCVLAM, ut corpus accipiatur pro symbolo corporis, ipsum non modo significante, sed etiam exhibente, sicut Cl. Calixtus de Tolerantiâ Reformatorum §. xxiv exponit; ergone semper per corpus & sanguinem Domini nihil aliud quam panem & vinum intellexisse existimandi fuerint? Annon in singulis locis circumstantiæ textus quàm accuratissimè expendendæ, & num necessitas postulet ut voces corporis & sanguinis Christi impropriè accipiantur, circumspecto maxime iudicio veniet discernendum? Non erit tibi ignotum Iohannes, Pho-

Uni-

tinianos solere simili modo quo tu hîc facis observare, vocem *Deus*, aliquando in scripturâ rebus etiam creatis improprie tribui. Socinus magister contra Wujeck. & Bellarmin. cap. vi. Classis iv. argum. i. pag. 347. edit. Sternacianæ anno 1624. *Nego propositionem istam, in scripturâ Dei nomen absolute positum, soli illi Deo tribui, nam rebus quoque creatis tribuitur aliquando, ut mox docebimus. Quod adeo verum est, ut Bellarminus ipse non ausus fuerit id aperte negare in suâ argumentatione deducendâ. Et iterum pag. 348. antequam testimonia sacra proferam, ubi nomen Dei absolute creaturis tribuitur, libet ostendere, Irenæum ipsum, licet aperte id alicubi videatur negare—tamen non aliter ac nos, sentire, quatenus fatetur, in scripturis absolutum Dei nomen aliis etiam tribui, præter illum unum Deum.* Photinianus ergo aliquis illud Christianorum argumentum, quo Christo Servatori divinitatem propriè dictam à disertâ appellatione Dei vendicant, ex ore tuo facile eludet, & dicet; *quia semel id concessistis* Trinitarii, *in scripturâ vocem Deus* aliquando creaturæ tribui, & ita improprie quoque capi, *allegandus scripturæ dictis, in quibus Christus vocatur Deus nihil contra nos efficietis.* Quippe in promptu nobis semper erit *vestra ingenua confessio*, quod in scripturâ aliquando creatura quoque Deus vocetur, *perque Deum nihil aliud quàm rem creatam, scriptura ibi intellectum velit.* Item; *quia animadvertistis, scripturam aliquando creaturam vocare Deum, poteratis credere ipsis quoque illis verbis, quæ afferendæ divinitati Iesu Christi afferre soletis, per vocem Dei, scripturam nihil aliud, quàm creaturam, intellectum velle.* Hic tu Iohannes demonstrator, responde ejusmodi homini. Et quando id jam feceris, videbis ipse, cujus valoris fuerit sophisticus ille, quem mecum hic ludere volebas lusus.

XXIII. Accedis jam ad aliud meum argumentum. Dixeram ego libelli mei pag. 118. 119. *Sicut Patres panem aliquando corpus Christi vocent, ita sæpius illos panem à corpore Christi*

diversum facere, quando duas hic res terrenam & caelestem ut Irenaeus; visibiles elementorum species, & invisibilem Iesu Christi carnem & sanguinem, ut Augustinus, à te ipso epistolâ ad W. F. pag. 143 productus; non nudum panem, ut Cyrillus, agnoscant, quando hoc quod fluxit de latere, cum vino in calice existere fatentur, ut Chrysostomus; quando cum pane, & sub pane corpus Christi sumi inculcant, quod facientes, Augustinum, Cyprianum, Chrysostomum & Ambrosium, adducit Christophorus Pelargus, quando Chrysostomus laudatâ illâ in 1. ad Corinthios cap. x. Homilia xxiv. ad verba Pauli, panis est communicatio corporis Christi, scribit: το δὲ κοινῶν, ἑτεροῦ ἐστὶν ἐκείνου δὲ κοινῶν id quod communicat, est alterum ab eo quod communicat, Quibus modis omnibus, cum panem à corpore Christi tam clarè distinxerint Patres, quomodo Vorstius commentum illud suum persuadebit hominibus, ac si inter panem & corpus Christi identitatem statuerint boni Patres, & ut sine falsitate hoc potuerint, prædicatum corpus Christi improprie acceperint? Ad hæc tu; Horum verborum postremis rursus negare velle videris. quod in eorum primis jam concesseras. Quod concessisti, hoc est, Patres panem aliquando corpus Christi vocare, atque ita (sic de tuo addis) vocibus corpus Christi, nihil aliud quàm panem designare. At in postremis verbis meum commentum vocas, quod Patres inter panem & corpus Christi identitatem statuerint, id est, quod per corpus Christi, nihil aliud quàm panem intellectum velint. pag. 112. Sed quæ vel umbra contradictionis hic est mihi Iohannes; Patres securitati & simplicitati suæ indulgentes, aliquando panem vocant corpus Christi; Patres rectius & magis circumspectè locuti, sæpè etiam à pane diversum faciunt corpus Christi? Ego, fateor, utrumque & asserui, & adhuc assero, Patres de pane aliquando quod sit corpus Christi prædicasse, sed & sæpius eosdem panem & corpus Christi diversa esse indicasse. Hic tu verò mihi graviter succèdes, & ita insis: Si tu dictum univèrsaliter velis, quod videlicet Patres inter corpus Christi & panem semper & perpetuo identitatem statuere ego dixerim; alie-

nissi.

missimam mentem mihi affingis. pag. 122. Si ergo hæc mens tua minimè est, quomodo è particulari, ut ajunt, ex eo scilicet, quod de pane Patres *aliquando* dicunt, corpus eum Christi esse, contra nos concludere voluisti Iohannes? Nihil certè magis aut effecisti hætenus, aut efficies deinceps, quàm ex eo, quod vocabulum *Deus*, in scriptura *aliquando* de creaturâ usurpatur, effecerint novi Photiniani contra argumentum Christianorum, ex disertâ appellatione Dei, Christo in certis locis tributâ, verâ ei divinitatem asserentium. Videamus porrò, quid contra illud afferas, quod ego objeci, Patres sæpiùs panem eucharisticum à corpore Christi distinguere, & hæc à se invicem diversa facere. *Quis hoc neget*, inquis tu expeditè, *faciunt hoc toties, quoties panem corporis Christi* τῷ πον, ἀντί τῷ πον, σύμβολον, *figuram & signum dicunt.* pag. 124. & adducis exemplum, ex Homiliâ xxvii Macarij. Tum addis: *Verum talia loca veterum, quibus panem eucharistiæ ipsius propriè dicti corporis figuram esse dixerint, tu fortasse non requiris, sed produci malle talia in quibus corpus Christi à pane eucharistiæ ita discretum sit, ut ipsum propriè dictum corpus Christi unâ cum pane eucharistiæ ipso hominum ore manducari scripserint. Talia igitur loca, ubinam in Patrum monumentis reperire sit, mihi quidem non constat. Sed tamen tu talia reperisse te putas.* pag. 125. Rectè dicis, Patres toties panem à corpore Christi diversum facere, quoties ejus signum & figuram cum vocant. Inter signum enim & signatum, secundum idem & eodem respectu, nunquam est identitas. Quod autem putas me *requirere* & à te *produci malle talia loca*, quæ totidem verbis, qualia tu ibi annumeras, corpus Christi à pane discretum esse doceant, id mihi in mentem non venit, nec ut à te aut alio quopiam fiat, opus est. Si non ipsis illis, quæ tu me *forſan requirere* ariolaris vocibus, veteres sunt uſi, certè alijs, ſignificatione iſtis æquivalentibus, ſatis illud quod ego intendo, expreſſerunt. Et talia me *reperisse*, jam videbimus. Repetis ipſe ſtatim hæc mea verba; Patres

sæpius panem à corpore Christi diversum facere, quando duas hęc (in sacrâ coenâ) res, terrenam & cœlestem, visibiles elementorum species, & invisibilem Iesu Christi carnem & sanguinem, ut Augustinus à te ipso epistolâ ad W. F. pag. 134. productus; &c. inculcant. Et quid adversus hanc lucem tu, Iohannes? Sed heus tu, inquis, de ipsis vocabulis panis & corpus Christi quæstio erat, an videlicet corpus Christi Patres à pane sic diversum fecerint, ut unâ cum pane ipsum propriè dictum corpus Christi ORE comedi scripserint. Nam verba tua sic coherent; sicut Patres aliquando panem corpus Christi vocant, ita sæpius iidem illi (Patres) panem à corpore Christi diversum faciunt. Quæ certè verba non aliter capi POSSUNT, quàm quod Patres aliquando quidem per corpus Christi ipsum panem eucharistiæ intelligant; sed frequentius tamen per corpus Christi ipsum propriè dictum corpus Christi designent, & panem eucharistiæ seorsim nomenclent. pag. 126. Sed heus tu primò vicissim; quomodo de vocabulis sit quæstio? num inter vocabulum panis, & corpus Christi identitatem, de quâ tu egeras, & mihi sermo erat, iidem constituerunt? De re, per vocem panis significata, sermo est, Iohannes. Hanc rem, sive jam voce panis, sive aliis æquipollentibus, ut, rei terrenæ, visibilis elementi aut similibus, eam extulerint Patres, hanc rem, inquam, annon à propriè dicto corpore Christi sæpius fecerint diversissimam, hoc est quod inter nos quæritur.

XXIV. Sed ipsa Patrum à me nominatorum verba, quibus panem à corpore Christi propriè dicto diversum illi faciant, & quid tu adversus illa objicere potueris, jam contemplabimur. Dixeram ego, S. Irenæum hęc duas res, diversas utique à sese, terrenam & cœlestem agnoscere. Tu contrâ; quod ad verba Irenæi quæ in cap. XXI V. libr. VI. exstant, —alludu, id nihil ad rem facit. Quare verò nihil ad rem faciat? Hic enim ipsa vocabula panis & corpus Christi non apparent. De hac re quid habendum sit jam dixi. Mox autem obiicis tibi ipsi: Sed dicit tamen Irenæus, Eucha-

Eucharistiam constare duabus rebus, terrenâ & cælesti. Et respondes, dicit quidem, sed non dicit, duas istas res, quibus eucharistia constat, panem & propriè dictum corpus Christi esse. pag. 127. Quid ergo intelligit per rem terrenam, si panem non intelligit? Sed de eotu fortassis non dubitas. De re cælesti animadverto te in alia ire. Chemnitium enim, quem τὸν μέγαν me vocasse tibi iterum dolet (sicut dentibus edentium, edentulus, dicente Hieronymo, *invidere solet*) hîc reprehendis, quod in Exam. Concil. Trid. de Transubstantiatione *audaciter* ut tibi videtur, & *sine hæsitatione* scripserit; Non utemur conjecturis, sed audiamus ipsum Irenæum explicantem se. Mox enim subjicitur, Eucharistiam constare duabus rebus, terrenâ, pane scilicet & vino, & cælesti corpore scilicet & sanguine Christi. Hæcibi Chemnitius, quibus tu addis; *putat hîc, rem cælestem de quâ Irenæus agit, nihil aliud esse POSSE, quàm corpus & sanguinem Christi.* Rem cælestem Irenæo dictam, simpliciter pro corpore Christi Chemnitium accipere, hoc video; dicere autem Chemnitium, rem cælestem *nihil aliud esse posse quàm &c.* ego non video. Chemnitius ante te natum Iohannes, & novit, & monuit, per rem cælestem, si quis cavillari velit, aliud posse intelligi. Vide ipsum cavillationes istas recensentem & refutantem, de Fundamentis cœnæ cap. x. Pergis autem: *Verum sciendum, veteres in sacrâ cœnâ statuisse quidem compositionem quandam, verum non panis & corporis Christi, sed panis & VIRTUTIS quæ sit in pane.* Quâ de re fusè egi in capite 11. libri 2. *Dissertation. sacrarum, & in paginâ item 345. superioris epistolæ nonnihil dixi.* Hic modo unum atque alterum locum nunc repetam. pag. 128. Et reperis verba auctoris de sacrâ cœnâ, inter opera Cypriani, ejusdem auctoris, libro de resurrectione Christi, Epi-phanij in expositione fidei, Victoris Antiocheni commentario in Marcum, quibus panis & vino divinam se infundere essentiam, virtutem invisibilem & visibilia sacramenta sic facere unum corpus, sicut caro & spiritus .i.e. sicut corpus & anima, virtutem quæ in pane sit,

fit, ad vivificationem valere, Deum his *quæ in mensa sunt* (pani & vino) immittere *δυναμις ζωῆς* virtutem vitæ, scribant; qualia veterum loca plura, in quibus Deum *naturæ symbolorum τὴν χάριν* gratiam apponere etiam dicunt, in vulgus aliàs sunt nota. Iam ad verba Irenæi reversus, sic dicis; *istam* virtutem invisibilem, *de quâ hi autores scribunt, quod pani eucharistiæ infundatur atque insit, intellexit Irenæus, cum eucharistiam re terrenâ & cælesti constare scripsit, atq; ita ipsam illam VIRTUTEM panis, rem cœlestē vocavit.* pag. 127. 128. 129. 130. Primò, Iohannes, quando Patres de virtute aliquâ divinâ pani additâ aut immisâ loquuntur, quo jure tu hoc corporis Domini cum pane conjunctioni opponere audes? Qui ita locuti sunt, in illâ *δυναμις ζωῆς* virtute vivificâ, corpus Christi ipsum voluerunt comprehendere. Id enim ni fecissent, figmentum aliquod sui cerebri, extra scripturam excogitatum, nobis protulissent, sicut Responso ad superiorē prolixam tuam Decretalem, § LXXXIIX. jam tibi dixi. Tu videris existimare, quia *virtutis* hîc veteres faciant mentionem, corpus Christi, quod substantia est, isto vocabulo simul complecti nec voluisse, nec potuisse. Sed cogitare poteras Iohannes, qualitatū appellationibus, substantias aliquando etiam venire solere. Ita Christus vocatur *δυναμις θεῆς* I. Cor. I, 24. Simon Magus dicebatur *virtus Dei* magna Actor. VIII. 10. Quidni ergò corpus Christi ipsum, vivificam illam carnem, *virtutis*, & virtutis divinæ atque *invisibilis* (invisibiliter enim præstò est) *δυναμις ζωῆς* item nomine, potuerint denotare? Quidni potuerint dicere, *divinæ essentiam*, (cujus totam plenitudinem carni Christi unitam esse constat, Coloss. II, 9.) unâ cum hac ipsa, *sacramento visibili se infundere*? indulserunt, si alibi unquam, certè in hoc venerabili sacramento ejusque partibus ac fructu describendo veteres, liberioribus locutionibus. Quid mirum itaque, si *virtutis* hujus *invisibilis* appellatione, vel ipsam proximè substantiam corporis Christi, vel certè sub *virtute* divina, quam ei inesse cer-

rum

rum est, eam plam substantiam sint complexi. Ad Irenæi itaque verba revertendo, si concedamus tibi, per *rem caelestem* eum intellexisse *virtutem* illam *in pane*, quam Epiphanius à te allegatus ita vocat, nondum tu profecto Chemnitium jure ullo reprehendisses, quod per *rem caelestem* Irenæo dictam, substantiam ipsam corporis Christi intelligendam esse, ipse affirmasset. Accedit, quod tu in Dissertationibus tuis libro I. cap. 2. quò hinc lectorem remittis, ex Irenæo ipso nullum exemplum attuleris, nec asserre adeò potueris, è quo constaret, *panem* illam *virtutis invisibilis in pane*, ipsi usitatam fuisse, cum contra non semel, ipso etiam illo capite xxxiv. libri v. è quo verba de quibusjam agimus sunt deprompta, in iis quæ ea proximè antecedunt de eucharistiâ tractans S. Pater, præter & juxta panem, *corporis & sanguinis* Domini apertam mentionem faciat. Quid ergò vellicas Chemnitium, quando Irenæum ex Irenæo est interpretatus? Hæc igitur cum ita se habeant, vides, mi Vorstii, quàm nihil contrà verba Irenæi quibus ego probare volueram, eum panem à corpore Christi distinxisse, inventiunculis istis tuis profeceris. Parum autem abest quin ipse fatearis idem quod ego iam tibi ostendi, *virtutis invisibilis* mentione, veteres corpus Domini complexos esse, quando non dubitasti addere; *Neque alia mens S. Augustini fuit, quod scripsit, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Nimirum ais, ipsam VIRTUTEM, quam pani & vino inesse veteres statuebant, Augustinus CARNEM atque SANGVINEM Christi vocavit* pag. 30. Aut, si tu aliter *virtutem* illam intelligis, poteras eadem operà quâ affirmas, Augustinum per *carnem & sanguinem* Domini, *virtutem* nescio quam, intelligere, affirmare porrò, Augustinum nominasse taurum, sed intellectum voluisse passerem. Quod diciste in Dissertationibus tuis hoc ipsum accuratè demonstrasse, ubi si mihi visum fuerit legere possim, noveris me id legisse,

K

& ver-

& verborum quidem sat multum, vim autem probationis ibi non deprehendisse. Hanc tu hoc loco, semotâ polylogiâ proponere debuisses, & responsionem à me abstulisses.

XXV. *Cetera quoque verbaque in pag. 119. libelli mei recensuerim, uti ipsam corporis Christi substantiam, panis eucharistiæ adjunctam atque unitam statuisse veteres, probarem, minime hoc ipsum probare pronuncias pag. 131. Adduxeram verba Cyrilli τοῦ ἀγίου & λείον, panem non nudum aut simplicem esse scribentis. Verum ad hoc quod attinet, in paginâ. 343. Et proximus sequentibus superioris epistolæ respondisse tibi videris quod sufficere possit. pag. cit. Quoniam ergo & ego respondisse jam tibi ad illud videor quod sufficere possit, possum nunc ulteriore operâ superfedere. Sequitur locus Chrysostomi, quod in poculo est, est illud quod fluxit & latere. Hic dicis in eadem illâ superiore epistolâ respondisse te etiam ad hæc Chrysostomi verba—quâ responsione etsi satis prohibuisse tibi videaris, ne Chrysostomus putari possit credidisse, quod sanguis Christi propriè dictus, unâ cum vino existat in poculo, expositurum tamen, quid de verbis Chrysostomi NVNC sentias. pag. 131. Priorem tuam responsionem, explosi jam, ut merebatur, Respons. ad epistol. super. §. LXXXIX. Quid NVNC attuleris subsidii, erit mihi jam porro considerandum. Primò mones, me verba Chrysostomi non sat s fideliter retulisse. Scripsisse enim, Chrysostomum fateri, hoc quod fluxit de latere, cum vino in calice existere. Verùm voces ~~ut & oīes~~ cum vino Chrysostomum non habere. pag. 132. Tu verò mecum hinc non agis fideliter Iohannes. Chrysostomi verba in libello meo pag. 119. fide optimâ & ita retuli, ut verba cum vino, diverso charactere expressa inseruerim, ne non omnibus pateret à me, ad sensum explendum, ea esse inserta. Causæ autem meæ per hoc nihil decedere quod Chrysostomus verbulis cum vino istic loci non fuerit usus, ego loco jam indicato tibi monstravi. Monstravi ibidem satis etiam abunde, quid habendum sit de tuo illo tibi quasi proprio errore, cui hinc denuò ridiculâ petti-*

pertinaciâ inhæres, quando adhuc sentis, ex verbis istis Chryso-
stomi, si ibi propriè dictus sanguis intelligi debeat, omnino in-
telligi oportere, quod NIHIL ALIUD quàm propriè dictus sanguis
Christi in poculo existat; Quemadmodum si dicatur, Quod in hoc
poculo est, hoc est aqua, vel, Quod in hoc poculo est, id est
lac, nihil aliud intelligi neque SOLEAT (in Iohannis Vorstii
corrupto intellectu) neque POSSIT, quàm, quod quicquid est in
poculo, id aqua aut lac sit, quodque PRÆTER aquam aut lac in poculo
NIHIL sit. Quia vero Chrysostomo Transubstantiatio vini
Papistica tribui non possit, coniecisse te dicis, verba Chrysostomi
τὸ ἐν ποτηρίῳ ὅν quod in poculo est, periphrasin esse vini, quodque
ille dixerit, τὸ ἐν ποτηρίῳ ὅν, ἐκεῖνὸ ἐστὶ τὸ δὲ πλεονεξῆς πρῶτον. Quod
in poculo est, est illud quod ex latere fluxit, id nihil aliud esse,
quàm quod Patres alias frequentare soleant, vinum est sanguis Chri-
sti. pag. 133. Sed metum istum, longè vanissimum, quo ti-
mebas, è verbis Chrysostomi in propriâ ac naturali suâ signifi-
catione relictis, Papisticam vini Transubstantiationem secu-
turam, tute tibi, formatâ absurdissimi illâ quam modò repe-
tebas æquipollentiâ injecisti Iohannes. Ego verò te dudum
ab illo, Responso ad superiorem tuam epistolam locò jam indi-
cato, & alibi, non semel liberavi. Tu quidem, ut modò indi-
cabas, adhuc times, ubi nihil est timendum, Interpretationem
tamen verborum Chrysostomi quam feceras, deseris, substi-
tutâ in locum ejus aliâ, sed pilo unico non meliore. *Vt videas*
ais, quàm non sim cupidus fallendi, uti tu suspicabare, & quàm liben-
ter dicam quod sentio: fateor tibi, me de verbis Chrysostomi nunc pau-
lò aliter sentire, quàm quidem antebac sensi. Verba τὸ ἐν ποτηρίῳ ὅν,
quod in poculo est, non habeo nunc pro periphrasi vini: uti nec ver-
ba quæ sequuntur τὸ δὲ πλεονεξῆς πρῶτον quod ex latere fluxit pro
periphrasi sanguinis Christi propriè dictâ: sed ipsa hæc posteriora pro
periphrasi habeo vini eucharistiæ. Quod igitur Chrysostomus dixit,
quod in poculo est, id esse illud quod ex latere fluxit, vel, quod

idem est, quod in poculo est, id esse sanguinem Christi, id intel-
 ligo sic, quod QVICQVID in poculo est, id sit sanguis Christi, ve-
 rum figurate dictus, id est, quod sit vinum eucharistiae, quod sanguinis
 Christi propriè dicti signum est, ipsaque hanc ob causam sanguinis
 Christi nomen accepit. pag. 143. Et repetis prolixè ineptissimum &
 absurdissimum tuum *νοκκω ποδρ*; Hoc quod est in poculo, fluxit è latere
 (est sanguis Christi) Ergò quicquid est in poculo, fluxit è latere (est
 sanguis Christi) adjicere debebas quod pag. 133. præcessit; ita
 ut præter sanguinem Christi, in poculo nihil quicquam sit. Atqui, de
 sanguine Christi propriè dicto, verum esse hoc non potest, quod quic-
 quid est in poculo, id sit sanguis Christi propriè dictus, quodque præ-
 ter sanguinem Christi nihil quicquam sit in poculo—Relinquitur ergò,
 mentem Chrysostomi esse hanc, quod quicquid est in poculo, id sit san-
 guis Christi figuratè dictus, id est, vinum eucharistiae, quod sanguinis
 Christi symbolum est. pag. 135. Transeat iterum bene pinguis il-
 la, quamvis imis tibi sensibus infixa philosophia; Hoc quod
 est in poculo, est id quod fluxit è latere. E. quicquid est in po-
 culo NIHIL quicquam est PRÆTER illud, quod fluxit è late-
 re. Indigna illa est, quæ verbo amplius redarguatur. Alterum
 quoque illud, recens tuum & primarium *εὐρημα*; Illud quod ex
 latere fluxit, id est sanguis Christi, & sanguis Christi hic est vinum
 eucharistiae sanguinis Christi propriè dicti signum; hoc, inquam, sub-
 tile tuum *εὐρημα*, curto centusse non empireret quisquam intel-
 ligens. Etenim mi Iohannes, si ita continuò agere licet, ut ex
 re ipsa quando tibi commodum est aut lubet, facias signum rei,
 è sanguine propriè dicto, sanguinem improprie dictum, ecquid
 in omni scriptorum genere supererit, quod admissa semel te-
 merariâ ejusmodi licentiâ, non possit in sensum, quem quisque
 pro animi levitate concepit, transformari? Hilarius libro VIII.
 de Trinitate, sub finem, vocat hoc *furari verborum occasiones*, &
irreligiosi (desultorii) ingenii aculeos exagitare. Sed habes tam eni-
 gmaticum, quem interpretationi tuæ, illi bellæ, inducas. Ne mi-

rum videatur inquis — illud quod in poculo est, esse sanguinem Christi figuratè dictum i. e. vinum eucharistiæ, quod & ipsum sanguis Christi appellatur, attendendum est, quod veteres ad eum modum non raro loqui soleant. pag. 135. Egregiam verò, & demonstratore an defultore? dignam prorsus argumentandi rationem! Quidni similem in modum colligat etiam aliquis Slichtingius: *Ne mirum videatur*, nos, Photinianos, vocem *Deus* in illo Ioh. 1. λόγος erat *Deus*, pro Deo improprie dicto accipere, attendendum est, scripturam non raro ita loqui solere. Et adducet loca scripturæ, speciosiora profectò illis, quæ tu hîc è Patribus pro sanguine Christi improprie dicto adduxisti. Hîc Iohannes responde Photiniano, tuam disputandi methodum contra fidem Christianam usurpanti, nec desiderabis, ut ego ad dicta Patrum abs te hîc allata, tibi peculiariter respondeam. Producis verba Ambrosij, libro de his qui mysteriis initiantur Cap. ix. *Hoc quod conficimus corpus ex virgine est.* Item illa libro iv. de Sacram. Cap. v. *Ante verba Christi, calix est aquæ & vini plenus: ubi verba Christi operata fuerint, sanguis ibi (in sacrâ coenâ) efficitur, qui plebem redemit.* Et ne hæc Ambrosiana, si ille sanguinem qui plebem redemit, existimetur pro vino, dixisse, mira videantur, observas, quod eodem modo loquantur Patres cum de alterius generis corpore Christi, id est, de homine fidei agunt. pag. 137. Verùm illo Iohannes, si à Patribus panis eucharistiæ, corpus Christi, si vinū sanguis Christi improprie aliquando vocantur, quod textus circumstantiæ, ut in his exemplis contingit, ita poscant; num semper id ipsum fieri cogitare par erit? Si homines fideles aliquando vocantur caro Christi, statim ex re ipsâ palam est, carnis vocem improprie capi. Producestu verba Leonis M. sermone x. de nativitate Domini, qui cum citasset verba; *Ierl'm caro factum est, & habitavit in nobis*, subiciat deinde, *in nobis utique, quos sibi verbi divinitas coaptavit, cuius caro de utero virginis sumpta, nos sumus.* Et addis: *Viden, dicere illum, fideles & Christianos esse carnem Christi de*

utero virginis sumptum? Ex quo tamen non colligendum, Christianos carnem Christi propriè dictam esse. Pari modo igitur quamvis Chrysostomus in superioribus, verba quod ex latere fluxit usurpaverit, non est tamen colligendum, ipsum de sanguine Christi propriè dicto loqui, & NIHIL ID PROHIBET, quominus de sanguine Christi figuratè dicto, de vino eucharistiae agere putetur. pag. 138. Quædò te mi Iohannes, si mercedem accepisses à Photinianis, poteras ne luculentius eos docere rationem, loca scripturæ in quibus divinitas Christi proponitur, sophisticè eludendi, quàm per meram sine dubio incogitantiam, & præfervidum Lutherianos tuos impugnandi studium, hîc eos doces? Illi profectò, te confestim imitati, attulerint facili operâ scripturæ nonnulla dicta, in quibus vox Dei impropriè capiat, & tum simili tecum ratione contendunt; Viden, creaturam, v. c. magistratum, ibi vocari Deum. Ex quo tamen, dicent porrò ex ore tuo, colligendum non est, magistratum esse Deum propriè dictum. Pari modo igitur, quando Ioh. 1. λόγος vocatur Deus, non est tamen colligendum, Iohannem de Deo propriè dicto loqui, & NIHIL PROHIBET quo minus de Deo impropriè dicto agere putetur. Hîc te jam collige Iohannes, & cogita, quàm circumspectè, quàm item bellè & validè contra Lutherianos tuos prolatis his tuis Patrum locutionibus pugnaveris. Pergis autem sermocinari Iohannes. Dicunt Patres, nos esse ipsum verum corpus Domini, & tamen non corpus Domini propriè, sed figuratè dictum intelligunt. pag. 138. Et adducis hanc in rem verba Fulgentii de baptismo Æthiopis cap. ix. & Chrysostomi Homilia xxiv. in priorem ad Corinthios. Tum subjungis: Dicunt illi Christianos esse ipsum verum corpus Christi, & tamen corpus Christi figuratè dictum intelligunt. NON MIRVM ergò, si de pane eucharistiae quoque sic loquantur. Et vide mihi, quàm paria Chrysostomus, de pane eucharistiae, & de homine fideli pronunciet. Quid est panis inquit? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui accipiunt? Corpus Christi. Ex quo, quis non intelligat,

telligat, corpus Christi illum utrobique figurate intellectum velle. pag. 138 139. Non opus est, ut præter id quod jam dixi verbulum amplius frivolis nugis opponam. Dixerit Fulgentius, Paulum cum dixisset panem quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est, ut nos ipsos verum panem VERVMQVE corpus (Domini) ostenderet, continuò subjunxisse, Quoniam unus panis, unum corpus multum sumus, dixerit inquam ita Fulgentius, dixerint alij insuper plures, Christianos esse verum corpus Domini, & intellexerint de corpore mystico, Ecclesiâ; quæ malum hæc sophistica objicendi ratio est; vox corporis, item, veri corporis hic & illic à Patribus accipitur figuratè, ergò etiam quando in sacrâ cœna docent adesse corpus Domini, id quod in poculo est, esse sanguinem Domini, voces corporis & sanguinis figuratè iidem acceperunt. Photinianos sycophantas, & qui illis comites ire amant alios, ita fortassis ludere deceat; à Iohanne Vorstio, nuper ad lumen divinum Reformato, & Demonstratore insuper μάλα πεισιδωμένω, Lutheriani veteres amici saniora expectassent. An oblitus es Iohannes, de vocum significatione è singulis quibus continentur locis, & pro illorum circumstantiis iudicium esse faciendum? & ubi textus circumstantiæ ad impropriam earum significationem admittendam non compellant, non adiungant, in naturali & usitatâ earum significatione esse religiosè acquiescendum? Certè si ista desultoria levitas admitti debeat, ut tu & similes tui alij, quovis euripo instabiliore animi, quoties lubet, erumpatis; vox corporis v. c. hîc & illic apud veteres capitur improprie, nil mirum itaque si & hoc loco sic accipiendam esse censeretur debeat; item, nihil prohibet quo minus hoc quoque loco eam improprie capiendam contendamus; si hæc inquam κοβεία admitti debeat, illicet cœlum terræ deinceps miscere, & ex quovis quidvis pro cuiusque phantastæ lubitu, efficere facillimum omnino erit. Monebas Iohannes, in fine superioris tuæ verbosissimæ Decretalis, secundum conscientiam

hîc

hic agi oportere, neque quod ipse pro vero non habeas, chartæ illinere fas esse. Qui verba Chrysostomi hætenus non aliter tractasti, ac canes corium dentibus tractare solent; an huic tuæ monitioni satisfeceris, positis affectibus paulo penitiùs tecum cogita. Chrysostomi interim illa luculentissima verba, sunt & manebunt *evaginatus imprudenter à temei ipso gladius*, quò Calvinistici quem tu defendere instituis erroris, *caput penitus amputetur*, sicut de voce *ἐμμέστος* ab Arianis olim in suam ipsorum perniciem prolata, scribit Ambrosius libro 111. de fide ad Gratianum Cap. VII. In cumulum adjicio verba Autoris sermonis de Cœnâ Domini, operibus Cypriani immisceri soliti §. VII. *Nova est hujus sacramenti doctrina, & scholæ evangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primum hæc mundo innovavit disciplina, VT BIBERENT SANGVINEM CHRISTIANI, cujus esum legis antiquæ autoritas interdicat. Lex quippe esum sanguinis prohibet, evangelium præcipit ut bibatur.* Dic Iohannes, evangelium præcipere, ut *sanguis Christi* improprie dictus bibatur, & ineptissimam reddideris Autoris oppositionem.

XXVI. Hic adjeceram alia quædam Chrysostomi verba Græca, unâ cum latinâ versione, quibus idem illud, quod ex Irenæo, Augustino, & Chrysostomo adeò ipso hætenus adstruxeram, Patres videlicet *sapiùs panem à corpore Christi diversum facere*, institueram porro confirmare. Verba ex Homiliâ XXIV. in 1. ad Corinthios Cap. x. ad illa Pauli *panis est communicatio corporis Christi*, à Chrysostomo prolata, à me hunc in modum fuerant producta: *τὸ δὲ κοινωνεῖν ἐστιν ἐκείνῳ ὃ κοινωνεῖ.* Id quod communicat, est ALTERVM ab eo quod communicat. Tu verò errorem hic aliquem meum, quod verba Græca ex Codice Parisiensi (cum enim allegaveram) non rectè descripserim, notas. Non enim codicem dictum habere ὃ, quomodo expressum appareret in libello meo, sed verò, & κοινωνεῖ sicut tu transcripseris. Neque aliter optimas editiones, Savilianam & Comelintianam, nam tres omni-

omnino in Bibliotheca Serenissimi Electoris Brandenb. inspicere tibi, ne id nesciamus, licuisse) expressum habere. Si verò criticum hîc agere, & pro & rescribendum & contendere voluerim, novæ lectionis simul rationem exponere me debuisse, pag. 140. Verum mi Iohannes, heroa criticû ego me non profiteor, nec volo dissimulare, errorē in describendo ex ipso codice monosyllabo illo & pro & mihi surrepisse. Quæ res ita accidit. Chrysostomi opera ipse non possideo, sicut nec tu fortassis ipse possides. Incidi autē in editionem eorundem Parisiensem, in museo cujusdam amici, ubi verba de quibus agimus, mihi oblata, in schedam subito conjeci, notatâ simul paginâ, ut in codice alieno, verba illa si opus esset, facilius denuò invenire liceret. Quod te aliorsum jam trahere video. Post aliquot dies, ē schedâ illâ repetita, libello meo inserui, cum codicis ipsius, ut denuò introspicerem, copia mihi deesset. Video ergò ipse, & fateor, sensum Chrysostomi non esse illum ibi, quod panis eucharistiæ ut res communicans, diversus sit à corpore Christi ut communicato, sed verò, illud quod particeps sit corporis Christi, ab ipso illo corpore Christi diversum esse, quem sensum tu fere pag. 145. exprimis. Sicut autem rectè notasti, me à sensu verborum Chrysostomi hîc excidisse, ita tu, qui in tribus omnino codicibus textum introspexisti, sensum auctoris planum & apertum admodum frivole instituis eludere. Quod Chrysostomus κοιναν̄ η̄μας τὸ σῶμα τῷ, particeps nos esse corporis Christi, ait, id tu contendis non sic intellectum velle, quod corpus Christi corporibus nostris ἀδιατάτως adsit atque uniat, sed quod ejusdem corporis Christi particeps fiamus, eidemque uniamur spiritualiter & per fidem. pag. 146. Quæ est manifesta depravatio sensus. Vbi enim hîc Chrysostomus de unione spirituali per fidem vel verbulum? qui paulo ante clarissimè affirmaverat, id quod est in poculo, fluxisse de latere Christi. Quod verò in poculo est, quomodo non possit non ἀδιατάτως nobis esse præsens? Similis depravatio est quam subjicis. Dicit ille, ἡμᾶς ἐνοῦν τὸ ἀλλήλοις

ἡ τῶ Χριστοῦ nos uniri inter nos invicem, & cum Christo. Quo-
 rum prius allinis tu, quia ἀδιασάρας fieri putari nequit, posterius
 quoque ita fieri putandum non erit. pag. cit. Quare verò posterius
 ἀδιασάρας fieri, putandum non erit? Hic causam assignare
 debuisses. Interea est illatio quam hic facis, gemina prorsus
 illi, quā Photinianus aliquis ē verbis Christi Ioh. xvii, 23. ego in
 eis, & tu in me, ita concludat: prius cum aliter, quam per affe-
 ctum amoris, & largitionem donorum non fiat, posterius quo-
 que aliter fieri putandum non erit. Inepta tertiò est illa quo-
 que consequentia: Dicit ille, corpore Christi uno eodemque nos
 τρέφεσθαι nutriri. Ex quo intelligitur, per corpus Christi, illum
 hic non corpus Christi propriè dictum, sed panem eucharistiæ intellige-
 re. Nam corpore Christi propriè dicto, & ex virgine oriundo nutriri
 nos non posse, facile intelligitur. Quà de re supra pag. 79. plura dixi.
 pag. 146. Quia verò illis quæ tu supra pag. 79. dixisti, ego §. præ-
 ced. xv. contradixi, non opus est hic denuò actum agere. Vnum
 autem adhuc, & illud præcipue hic notari jubes, quòd Chrysosto-
 mus, cum dixisset corpore Christi nos nutriri, ad probandum hoc
 verba Apostoli alleget, in quibus manifestè mentio sit panis, videli-
 cet hæc, omnes participes sumus unius panis. pag. 147. Ecquid verò
 te hoc juvat mi Iohannes? Quandoquidem ex Apostolo pau-
 lò ante Chrysost. allegaverat & sibi exponenda sumpserat ver-
 ba ipsa textus, panis quem frangimus, nonne est communicatio cor-
 poris Christi? quidni ex eo, quod unius panis, illius nempe qui est
 νοῦνον σώματος Christi, participes sumus, rectè probet, corpore
 Christi ipso, illo inquam quod pro nobis in mortem traditum est,
 nos ad immortalitatem supernaturaliter nutriri? Vel hinc de-
 buisses discere Iohannes, cum Chrysostomus prolati Apo-
 stoli verbis, panis tam manifestam hic faciat mentionem ut ipse ob-
 servas & urges, & nihilominus per totam penè Homiliam de-
 incept corpus Christi nos λαμβάνειν accipere scribat, illud inquam
 corpus Christi, de quo magnificè admodum enunciat, quæ de
 pane

pane nemo verè dixerit, quod cum divina naturà sit conversatum propter quod fracta sint portæ inferorum & aperti fornices cæli, quod clavus confixum, flagris cæsum, lanceâ percussum salutes emisserit fontes universo orbi terræ, unum quidem sanguinis, alterum verè aquæ &c. de quo porro *ἡ ὁλοκωτὴ*, ad ejus à nobis ἀδιατάκτως inculcandam, scribat, illud videri in altari, esse situm in terra, neque solum illud videre nos, sed etiam tangere; vel hinc, dico iterum, debuisse discere, Chrysostomum panem à corpore Christi, & hunc ab illo luculenter facere diversum, *ὅτι ἐστὶν ἑστὸς καὶ ἑστὸς*.

XXVII. Deinde cum libelli mei pag. 119. Patres cum pane & sub pane corpus Christi sumi inculcasse, idque facientes, Augustinum, Cyprianum, Chrysostomum & Ambrosium, à Christophoro Pelargo, compend. Theolog. nondum interpolato loco xxiii. de cænâ, adduci, dixissem, reponis tu: Ad hoc quod attinet, primò de phrasi, corpus Christi sumi cum pane, constare haut potest, an veteres unquam eâ usi fuerint. Nam quod ad librum quendam B. Pelargi me relegas, ex eo certior fieri hâc de re haud possum. Vellem autem, ut si ex Patribus mecum agere velles, non ad alios me relegasses, qui ex Patribus quadam citaverint, sed loca Patrum ipsa bonâ fide monstrasses pag. 147. Respondeo Iohannes; de phrasi, corpus Christi sumi cum pane, existimare me, sicut tibi non constet an veteres eâ unquam sint usi, ita non magis quoque constare, quod veteres illa nunquam sint usi. Relinquamus id ergò hætenus in medio ab utrâque parte. Quod ad Pelargi librum te relegavi, id eò factum est, quod illum apud vos, in lectione Patrum non vulgariter versatum fuisse, existimari nossem. Si ille hîc deceptus est, quid non tibi aliisque contingere possit? Nosti tamen Iohannes, me aliâs loca Patrum ipsa bonâ fide monstrasse. Sed ego & alterius phrases corpus Christi sumi SVB pane, exemplum prorsus nullum quoque attuli! pag. 148. ita est; ad Pelargum enim te relegaveram. Fateris tamen statim, etsi forte illa ipsa phrasis non inveniat, exstare tamen phrases consimilis formæ, corpus Chri-

sti sumi & manducari IN pane, corpus Christi manducari in sacramento & SVB sacramento, corpus Christi manducari IN mysterio & SVB mysterio, corpus Christi manducari SVB specie panis. Quales certe Pelārgus loco à me citato produxerat. *Quæ verò istarum phrasium sit sententia, id paulò fusiùs atque dedità operà ais te exposuisse in cap. xvi. libr. xi. Dissertation. sacrar. quo & me relegas pag. 148.* Nempe ad consuetas tibi elusiones ibi confugis, & loca Patrum sæpe valde diversa inter se componis, ut quod uno loco intellexerunt, aut à te intellexisse creduntur figuratè, id hìc quoque figurate intellectum voluisse, persuadere possis. Quale compendium, ut nimirum verba scriptorum in uno loco posita, ex aliis, alià occasione, & cum aliis circumstantiis, ac de obiectis prorsus sæpe diversis prolatis, metiri atque exponere fas sit, ubi semel permissam fuerit, non difficulter licebit omnia incerta facere, & in sensus quos quisque velit detorquere. Non continuisti te, quin illicò specimen artis è Dissertationum farragine decerptum, hìc lectori exhiberes. *Hic tantum repeto, inquis, plerumque sententiam illarum phrasium hanc esse, quod panis manducetur VT signum, & in memoriam corporis Christi.* Quod optime intelligi putas ex eo, quod, quomodo dicunt Patres, corpus Christi manducari in sacramento, ita dicant etiam, corpus Christi immolari in sacramento, & huic deinde opponant rō immolari corpus Christi in se ipso. pag. 149. *Augustinus, inquis, in epistolà xxiii. admodum perspicuè: Nonne semel (tantum) immolatus est Christus in se ipso? Et tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die pepulo immolatur.* pag. cit. Fiat verò nunc quidem ita mi Iohannes, & liceat è phrasi, immolari in sacramento, sensum alterius illius manducari in sacramento æstimare. Quid est immolari in sacramento? Tibi quidè illud continuò idem est, quod, non corpus Christi ipsum immolari (hactenus rectè) sed immolari sacramentum h. e. sacrum signum corporis, idq; in corporis Christi memoriam. pag. cit. Sed falsum

dicis

dicis Iohannes, & falsò tibi persuasisti sacramentum hîc necessa-
rio sacrum signum, panem ipsum nimirum, significare oportere.
E sententiis per Prosperum collectis citant Lanfrancus, Algerus
& Gratianus; *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice fidelium
in ora funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio*
DESIGNATUR? Habes Iohannes, quid sit Christum immo-
lari in sacramento, in ipsa nimirum sacramentali actione ejus im-
molationem designare & quodammodo adumbrare. Si jam tò
manducari corpus Christi in sacramento, juxta hanc phrasin expo-
nendum erit, sensus emerget hîc similis, corpus Christi man-
ducari & sanguinem ejus bibi, in actione sacramentali. Porro
Iohannes ponamus & hoc, sententiam veterum, qui dicunt
corpus Christi manducari in pane, fuisse illam quam tu esse perhi-
bes, panem manducari VT signum & in memoriam corporis Christi;
quid ex eo contrà nos efficies? omninò nihil. Per hoc quod
panem aliquis dicit manducari VT signum corporis Christi &c. non
excluditur profectò, quod idem panis sit medium *non unum*
ipsius corporis Christi. Aliud est, signum quidpiam rei esse,
aliud, id ipsum nihil aliud quàm signum illius rei esse. Posteri-
orem quidem sensum tu Patribus velles assignare, sed tum ra-
tionem simul asserere te oportebit, quam nunquam invenies.
Et, dum panis est signum corporis Christi, dum corpus Christi
manducatur in pane seu signo (non utique purè signo, quod
nemo veterum dicit) omninò est manetque diversus à corpore
Christi. De quo mihi sermo erat. Nihilò felicius tibi succedit
Iohannes, quando novo conatu urges, Patres phrasin, corpus
Christi manducari in sacramento, *opponere phrasi corpus Chri-*
sti reverà manducare, & me ad paginam 246. libr. 11. Dissertation.
relegas. Inspexi locum Iohannes, & deprehendo ibi, quæ illud
quod jam dixi, prorsus confirmant, videlicet, Patres si panem
VT signum corporis Christi manducari, indicare voluerint, non in-
tellexisse, tamen ut tu sine dubio intelligis, purè signum, nihil

aliud quàm signum corporis Christi esse. Neque enim, ut tu hîc facis, simpliciter illi opponunt *Tò corpus Christi manducari in sacramento*, & *corpus Christi manducari* reverà : sed disertè, *SOLO sacramento edere corpus Christi*, *TANTVM in sacramento edere corpus Christi*, & *reverà edere corpus Christi*, opponunt. Exempla ipse contrà te ipsum hæc luculenta affers libr. cit. i. r. cap. xvi. pag. 249. Augustinus libr. xx. (xxi.) de C. D. cap. xxv. *Qui non SOLO sacramento, sed re ipsâ manducaverunt corpus Christi, in ipso scilicet ejus corpore* (i. e. in ecclesiâ catholicâ) *constituti*. Et, *re ipsa corpus Christi manducare, & sanguinem ejus bibere*, est eo ipso loco Augustino, in unione cum Ecclesiâ Catholicâ corpus & sanguinem Christi manducare & bibere. Quæ unio cum per fidem fiat, manifestum est, Augustinum *Tò SOLO sacramento manducare*, *Tò re ipsâ manducare* opponentem, non manducationem nudi signi, manducationi rei seu, signati, opponere, sed manducationem rei sub signo quæ fit sine fide & sine spiritali fructu, ei quæ fit cum fide, & cum spiritali fructu, opponere, planè sicut nos ipsi facimus. Idem denuò clare loquuntur alia ejusdem sancti verba, quæ continuò subjungis, Tractat. xxvi. i. in Johannem : *carnem Christi non edamus TANTVM in sacramento quod etiam multi mali, sed usque ad spiritus manducationem, manducemus & bibamus*. Et subjicis proximè : *Alibi Augustinum vocem TANTVM subaudiendam relinquere*. Agnoscis itaque, *Tò comedere in sacramento*, nequaquam simpliciter, ut hîc in epistolâ allegas, sed *comedere TANTVM in sacramento*, Augustinum *Tò comedere re ipsâ*, opponere, atque ita contra temetipsum, telum nobis validissimum subministras. Et hætenus quidem Patres *verbum manducare propriè & sine tropo*, de manducatione scilicet quæ ipso ore fiat, & *nomen corpus* *idem propriè & sine tropo*, concedit accepisse, pag. 150. Pergis autem, & quandoque tamen *Tò manducare corpus Christi in* *hujusmodi phrasibus* Patres non aliter dicis intelligere, quàm accipi-

endus

endum illud esse in Cap. VI. Iohannis supra docueris, id est, figuratè & per tropum. Exemplum, inquis, est in his S. Hieronymi, quæ in Commentario eius in Cap. III. Eccles. leguntur. Quia caro Domini verus est cibus & sanguis eius verus est potus, juxta ἀναπαυῖν, hoc solum habemus in præsentī seculo bonum, si vescamur carne ejus, cruoreque ejus potemur, non solum in mysterio (id est, in sacramento seu sacro signo, pane & vino) verum etiam scripturarum lectione. Hic carne Christi vesci in mysterio, nihil aliud est quàm quod aliàs dicere solent carne Christi vesci in sacramento. Nam vocem mysterium, in doctrinā de Eucharistiā Patribus idem esse, quod, sacramentum seu sacrum signum, & ipsas illas phrasas, vesci carne Christi in mysterio, & vesci carne Christi in sacramento, prorsus promiscuè usurpari, id illis qui in lectione Patrum sunt versati, ignotum esse non potest. pag. 151. 152. Porro id vesci carne Christi in phrasi illa Hieronymi vesci carne Christi in mysterio, figuratè intelligendum esse, id tibi apparet ex eo, quod & in lectione scripturarum carne Christi nos vesci, ait. — Quoniam igitur carne Christi vesci in lectione scripturarum, figuratè dictum est, alterum quoque carne Christi vesci in mysterio seu sacramento figuratè dictum putas censendum esse. pag. 152. Hem specimen iterum præclari ipsius artificii tui, quo significationes vocum in uno loco, è collatis aliis, dissimilibus plerumque magis quàm similibus, cludere studes. Quid, si alius simili modo dicat; Christus Ioh. xx. 17. inquit; ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum &c. quoniam ergo Deus, est pater discipulorum improprie dictus, Deum Patrem Christi, ejus quoque respectu patrem improprie dici censendum erit. Item: Iohannes 1. Ep. cap. III. 16. dicit; ille (Filius Dei) animam pro nobis posuit, nos igitur debemus animam pro fratribus ponere: Cum animam pro fratribus ponere, non importet mortem satisfactoriam, etiam quod Christus animam pro nobis posuisse dicitur, mortem satisfactoriam importare censendum non statim erit. Et certè Catech. Racov.

cap.

cap. VIII. de Morte Christi pag. 268. edit. Germanicæ tuâ hâc interpretandi bellâ ratione usa, locum præsentem eludit. Vide ibi, & erubescere. Longè rectius profectò te gessisses Iohannes, si è verbis Hieronymi contrariò planè modo, & ita collegisses; Hieronymus *trā vesci carne Christi in mysterio*, opponit aliquod manifestè figuratū *vesci carne Christi*, nimirum quod sit *in lectione scripturarum*, Ergò prius illud *vesci carne Christi*, neutiquam fuerit figuratū & improprie dictū aliquod *vesci*.

XXIIX. *Atque ita putas jam à te responsum esse etiam ad illa, quæ ex Patribus ipse citaverim, uti probarem, credidisse veteres, quod corpus Christi propriè dictū, ore hominum edatur, & sanguis ejus propriè dictus, ore hominum bibatur.* pag. 152. Quàm bene abs te responsum sit, quomodo Patrum dicta tractaveris, lectoris sine affectu judicantis arbitrio permitto. *Addis etiam, quod in pag. 118. libelli mei ab ipso me monitum videas, sensum Patrum de præsentī negotio, non ex unâ & alterâ, sed comparatis inter se pluribus eorum locutionibus esse perdiscendum. Quod si probè ego observem, facile me posse perdiscere, quod, etsi veteres corpus Christi OS hominum intrare, atque ORE hominum manducari quandoque scripserint, non tamen tam absurdi fuerint, ut corpus Christi propriè dictum, ore hominum manducari crediderint.* pag. 153. Agnosco Iohannes, verba hæc mea esse, quod sensus Patrum de præsentī negotio, non ex unâ & alterâ, sed comparatis inter se pluribus eorum locutionibus sit perdiscendus. Ægrè autem fero, quod, qui ista, tuo in speciem commodo volueris allegare, omiseris alia intermedia; ex comparatis inter se pluribus eorum (Patrum) locutionibus, OMNIBVS autem illis demum ad scripturam, ceu Lydium lapidem examinatus (ab eâ enim abire voluisse, minimè esse censendos, nisi ubi recessisse per se sit clarum) sensum de præsentī negotio esse perdiscendum; sic enim illic habent integra mea verba. Propositiones videlicet ipsius scripturæ, *Hoc est corpus meum, quod &c. Panis est veritas corporis Christi*, perpetuò oportet in conspectu

specu, & quasi lumen ac regulam, in interpreterandis, & aptè inter se conciliandis Patrum luxuriantibus & liberalioribus phrasibus, esse. Et quæ iterum ex his, propiùs ad verba scripturæ accedunt, illis alias, quæ hinc longiùs abeunt, accommodari, æquissimum juxta ac rectissimum esse, nemo qui scripturam dignè æstimare noverit, negare sustinebit. Hoc, hoc, si probe tu observes Iohannes, gaudebis parciùs, cum latis Patrum, dissimilimis sæpè locis atque occasionibus prolatis dictis, inter se pro tuo lubitu compositis, in posterum perstrepere. Sed nunc ad sermonem revertere Iohannes. *Ostensum est, per corpus Christi Patres subinde nihil aliud, quàm corpus Christi figuratè dictum, id est, panem eucharistiæ, qui corporis Christi figura & symbolum est, intelligere.* Et fassus quoque ipse tu es, ut in memoriam tibi revocavi, quod Patres panem eucharistiæ aliquando corpus Christi vocent. pag. 153. Nihil amplius hîc respondeo, vide sis §. præced. xx. Interea perge loqui. *Ad hunc modum corpus Christi oculis videri, gustu percipi, tangi, frangi, dentibus conteri, de loco in locum transferri, in loco aliquo reponi, in terram cadere, corpora nostra alere ac nutrire, & id genus alia facere aut pati posse scripserunt, ut in Cap. XVI. libri II. Dissertation sacrar. & partim quoque suprâ in hac ipsâ epistolâ, ostendi.* Cum his igitur locutionibus eorum pluribus, ut ipse monebas, comparanda est eorundem Patrum locutio ista, quâ corpus Christi nostrum os intrare, & ore nostro manducari scripserunt; & quomodo in pluribus illis alteris locutionibus, per voces corpus Christi non corpus Christi propriè dictum, & ex virgine natum, sed panis eucharistiæ, qui & ipse corpus Christi, sed figuratè dicitur, intelligendus est: ita in phrasibus illis proximis quoque faciendum illud fuerit. pag. 153. 154. Verum enim vero Iohannes, applicemus hîc regulam, quam de interpreterandis Patrum in hac materiâ phrasibus, paulò ante repetivi, integram quidem illam, non qualem tu truncatam recitasti, & non difficulter responsionem solidam inveniemus. Duo compre-

M

hendun-

henduntur in illis, quæ tu mihi hîc opponis, Patrum locutionibus, *res* & simul *modus* rei. Res mihi est ἀδιαφορία corporis Christi ab ipsis, quæ in sacrâ coenâ sumuntur externis symbolis. Hanc, cum verbis Servatoris, *edite; Hoc est corpus meum &c.* profus consentaneam eloquantur, in illis phrasibus jure merito agnosco atque accepto. Alterum autem illud, *modum* rei seu ἀδιαφορίας corporis Christi, in eo subindicatum, quod præsentiam sanctissimi corporis Dominici aliquando sensibilem, & extra Sacramentalem actionem permanentem planè facere videntur, quod attinet; affirmo, hac quidem parte phrasen illas vel hyperbolicas esse, quo loquendi genere nihil solennius, in hoc cum primis sacræ coenæ mysterio est sanctis Patribus: vel ἀνύψως minimùm autores earum locutos, & quod pani contingit v. c. *videri, gustari, tangi, in terram cadere*, corpori Christi idcò tribuisse, quod *panem* nossent *destinatum esse τῇ κοινῳ* corporis Christi, ut Cl. Calixtus suprâ §. xvi. productus loquebatur, adeoque hoc locutionibus illis suis indicare voluisse, corpus Christi tam certè pani in actione sacramentali conjungi, ac si pane *viso, gustato &c.* & ipsum jam videretur, tangeretur, de loco in locum transferretur. Iam quod me cum istis, modò recensitis locutionibus, jubes *comparare* eorundem Patrum locutionem istam, quâ corpus Christi nostrum os intrare, & ore nostro *manducari* scripserunt, facio lubens quod jubes Iohannes Vorsti, & dico, quandoquidem illa rem ipsam, hoc est, solam ἀδιαφορίαν corporis Christi cum pane ab ore nostro, enunciat, modo præsentia tantisper planè secluso, atque ita verbis institutionis Domini *edite. Hoc est corpus meum &c.* ex asse sit conformis, me illam qualis jacet & sonat, totam jure merito admittere. Fac tu similiter Iohannes, & lis inter nos omnis erit sopita.

XXIX. At tu qui vocum apicibus tenacissimè paulò ante volebas inhaerere, præterea tot aliis modis contendis significasse *veteres*, quod non crediderint, corpus Christi propriè dictum, adjun-

ctum

Etum pani, ipso hominum ore manducari. Et recenses longo ordine pag. 155. 156. illos modos, ut (1.) *quod scripserint Christum secundum carnem TANTVM in cælo esse.* Impudentiæ crimen hîc incurris Iohannes. Cum enim cap. xvii. libri 11. Dissertation. sacrar. omni opum vi hanc causam ageres, ne unicum quidem veterum, qui ita exclusivè loqueretur producere potuisti, unde factum, ut cum pag. 262. prolixum post alios Augustini ex epistol. LVII. locum allegasses, desperatione adactus, in hæc tandem verba proruperis: *vocem tantum non addit quidem, sed facîle intelligitur tamen, eam subaudiendam esse, quod certè non falsò, minus quàm audacter ibi affirmas.* (11.) *Quod scripserint, corpus Christi non ore, sed fide manducari.* Sed quis nescit, ejusmodi oppositiones, comparativo tantum sensu sæpius institui? Nota sunt exempla in ipsa sacrâ S. Matth. ix. 13. *misericordiam volo, & non sacrificium* i. e. non tam sacrificium volo, quàm misericordiam. 1. Cor. ix. 9. *Num boves curæ sunt Deo?* i. e. non ita boves curæ sunt Deo, sicut homines illi, de quibus ibi agitur. cap. x. 33. *non quaerens meam utilitatem, sed multorum ut servantur.* Comparativè autem rectè exponi veteres, qui *non ore sed fide corpus Christi manducari* dicunt, satis abundè docere potuisset locus apud Gratianum ex Eusebio Emisleno, quem cap. xix. libri 11. Dissertation. sacrar. ubi hanc rem tractas pag. 276. allegasti: *Cum reverendum altare cælestibus cibis satiandus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide resspice, mirare, mente continge, cordus manu suscipe, & MAXIME haustu interiore assume.* Viden Iohannes, quomodo veteres voluerint corpus Christi *non ore, sed fide* manducari? Tanta tamè fuit tua pertinacia simul & impudentia, ut hoc ipso capite pag. 275. vocem *tantùm*, quam nullibi reperiebas, Augustini quibusdam verbis subtiliter (in parenthesis tamen) inferueris, in hunc modum ea non veritus adscribere: *Nolite parare fauces, sed (tantum) cor.* Simili modo paulò ante, cap. xvii. pag. 264. impudentiæ litas, & sequentibus Augustini

verbis, exclusivam, quam nullibi apud ipsum repereras, de tuo expedite in parenthesis infercis; *Christus ubique est, per id quod Deus est, in caelo autem (tantum) per id quod homo.* Quod est certissimum malæ causæ, & animi pertinacis indicium. (III.) *Quod scripserint, non corpus Christi, sed sacramentum, id est sacrum signum corporis Christi ore manducari.* Hic loca ipsa requiro, quibus difertam ejusmodi, qualem tu hic facis oppositionem, non corpus Christi, sed sacramentum, id est sacrum signum & ipsi faciant veteres. Hæc si afferantur, responsio forte non erit difficilis, sæpè enim quæ simpliciter videntur opponi, secundum quid tantum, si in integro contextu spectentur, opponi deprehenduntur. Scripsisse tamen veteres, nos verè carnem Christi manducare, ipsam carnem Christi nos manducare, manducare nos corpus Christi quod natum est de virgine, & bibere sanguinem qui nos redemit, hoc, inquam ipse Dissertation. libr. II. Cap. IX. pag. 182. liberaliter fateris, etsi in sensum improprium alibi talia abripere labores, quod juris tibi non permittitur Iohannes (IV.) *Quod scripserint, ad panem & vinum oportere accedi, quasi ad ipsum Christum accederemus.* Ita loquentem produxisti unum Chrysostomum Cap. ult. libr. III. Dissertationum. pag. 296. Verba citas ex Homiliâ II. in Matth. *Cum fide autem accedere, non est modò id quod propositum est (in altari, panem scilicet) accipere, verum etiam puro corde illud tangere & sic affectos esse, ὡς αὐτὸν ἀγγέλλει τὸ Χρῆσθαι* quasi ad ipsum Christum accederemus. Et similiter Homiliâ LXXXIV. *Cum accedis ad venerandum calicem, (id est ad vinum, addis tu) sic accedas, ut si ex ipso latere Christi biberes.* Egregia profectò, & causæ nostræ apprimè servientia verba. Cum enim panis eucharisticus docente Paulo sit *κοινωνία* corporis Christi, & vinum illud sit *κοινωνία* sanguinis Christi, parumne liquet, Chrysostomum verbis his suis apertissimis ad istam Pauli doctrinam respexisse, quando vult eos, qui sacra illa symbola accipiunt, sic decere corde affectos esse, *ὡς quasi ad Christum ipsum accedant, &* quasi

quasi è faucio ipso ejus latere bibant? particulâ videlicet *ὧς quasi*, ira sumptâ, ut veritatis sit, non diminutionis, sicut loquuntur? Tu ipse Iohannes, satis odoratus es, verba Chrysostomi cum nostrâ sententiâ amicè conspirare. Ad elusionem itaque tibi receptissimam iterum confugiens pertendis, particulam *ὧς quasi*, in verbis istis non esse *ἐξηγητικὴν* sed *πλαστικὴν*, ac formandæ *πλᾶσι* inservire. Et ne id sine causâ affirmasse videaris, adjicis exemplum ex Homiliâ ejusdem sancti Doctoris LXXXIX. in Matth: Quandoquidem itaque pauperi quidquam largimur, sic affecti sumus, ac si ipsi Christo largiremur, *ὧς αὐτῷ τῷ Χριστῷ παρέχοις*. Verum mi Iohannes, si hæc elusio tibi hoc loco videatur procedere, procedet illa alibi non minus feliciter Photiniano. Æquè enim illi ad verba Iohannis Cap. 1, 14. *vidimus gloriam ejus, gloriam ejus ὧς μονογενὲς quasi unigeniti à Patre*, licebit tuo exemplo caussari, particulam *ὧς* non esse *ἐξηγητικὴν*, sed vero formandæ *πλᾶσι* tantum inservire, argumento simili, quia Iohan. Cap. xvii, 22. in illis verbis Servatoris, *ut sint (illi quos dedisti mihi) unum, ὧς sicut ἔγὼ nos unum sumus*, vocula *ὧς* non sit *ἐξηγητικὴ*, sed *πλαστικὴ* ac formandæ *πλᾶσι* inserviat. Quid quædò certi in ullo scriptorum genere manebit, si desultoriæ illi tuæ Hermeneuticæ permittatur quaquaaversum pro lubitu evagari? (v.) Quod scripserint bibere nos vinum, ne si cruorem seu sanguinem biberemus, horreamus. Hic iterum vellem, locum unum & alterum adjecisses. Nihil interim nobis id quod tu hic dicis, adversatur. Omnino providè Dominus sub vino & cum vino sanguinem suum insensibiliter bibendum exhibet, ne quis fideles suos tanquam crudos *ἀμαρτωλούς* jure accusare posset. (vi.) Quod scripserint, phrasin manducare carnem Christi, si propriè intelligatur, flagitium denotare. Hoc verò unus Augustinus libr. iii. de doctr. Christi. cap. xvi. scripsit, respiciens ad Capernaitas, qui illud, quod de comedendâ carne suâ dixerat Dominus, acceperunt stultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt, quod præcisurus esset Dominus particulam quandam de carne

M 3

suo

quo, & daturus illis, ut ipse sanctus Enarrat. in Psal. 98. scribit; ad illos, inquam, respiciens, quibus, ut est in sermone de cœna Domini, Cypriano tribui solito, non procul ab initio, horrendum & nefarium videbatur vesci carne humanâ, existimantes, hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel assam, sectamque, membratim edere docerentur &c. — Sed in cogitationibus hujusmodi, caro & sanguis non prodest quicquam &c. Reliqua lector ibi videat ipse. Talem ergo carnis Christi manducationem, cum qua nobis nihil commune esse, tu Iohannes probè nosti, dixerit flagitium Augustinus, non habebit nostrum quenquam refragantem. Hic tamen te velim recordari verborum S. Augustini è libro II. contrâ adversar. legis & Prophetarum Cap. 9. Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem nobis manducandum, bibendumque sanguinem dantem, fidei corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere. Et porrò Lectori considerandum proponere placet, annon iusta suspicio esse queat, locum Augustini præsentem, esse mutilatum ac corruptum? Proposuerat ille cap. præced. x. libr. citati regulam hanc generalem: quicquid in sermone divino, neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Subjecerat eopse capite, in dijudicandâ morum honestate, & fidei veritate, posse animum alicujus errore occupari, eoque contingere, ut si quid scriptura vel præceperit quod abhorret à consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpaverit, si animum eorum iam verbi vinxerit auctoritas, figuratam locutionem putent. Idè reperiverat & inculcaverat c. xii. inter alia his verbis usus: ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel Prophetica personâ magnâ cujusdam rei signum est. Alia quippe est in perditis moribus, alia in Osæ Propheta vaticinatione conjunctio meretricis &c. Ex his nemo prudens aliud collegerit, quàm quod iis prolatis viam quasi sternere voluerit, ad regulam suam de figuratè

figuratè dictis cap. x. generaliter propositam, deinceps magis distinctè & enucleatè, ac cum iustâ limitatione cap. sequ. xvi. proponendam? At, cum ad cap. xvi. jam perventum est, tantum abest ut compareat accuratior & distinctior regulæ dictæ expositio, ut de figuratè dictis multò securius & incautius ibi magnus Doctor quàm ante fecit, loquatur, &, si verba ejus pressius considerare velimus, etiam planè fallum quid nobis propinet. *Si præceptiva locutio, inquit, flagitium aut facinus VIDE TVR jubere, aut utilitatem & beneficentiam vetare, figurata est.* Quid audio? Si quæ unquam locutio *facinus præcipere* videri poterat, illa sanè poterat, quâ Deus Abrahamo præcipiebat, ut filium proprium interimeret. Ergòne locutio illa Abrahamo rectè *figurata* censeri debuisset? Credo equidem, si in Calvini scholâ cum Iohanne Vorstio ille profecisset. Regula videlicet, isto quo hodiè in textu jacet modo, concepta, Augustini prudentiâ fuerit indigna. Et quid itaque superest, quàm corruptam à falsario aliquo ut existimemus? quæ ad Augustini ipsius, è locis in proximè præcedentibus capitibus apparentibus, conspicuam mentem, in hunc, certè non absurdilem modum fuerit concinnata: *Sic autem (præceptiva locutio) flagitium aut facinus*, non quidem ex mente opinantis, sed ex clarissimâ scripturæ explicatione deprehenditur *jubere, aut utilitatem & beneficentiam vetare, figurata est.* Ita verò uti par erat constitutâ regulâ, corrui applicatio exempli subjuncta, propter quam applicationem regula corruptè & truncatè est posita. Cedò enim, ubi scriptura declarat, facinus vel flagitium fore si caro Christi propriè, modo tamen supernaturali & insensibili manducetur? Consideret, dico iterum, Lector cordatus, & judicet, annon vero maximè consentanea sit adducta conjectura, quam doctissimum Warnerum mecum per literas communicasse, non duxi esse dissimulandum. Nec video quid opponi possit, nisi id fortassis, quod nova sit isthæc corrupti illius loci suspè-

suspicio. Sed hoc quoq; ἀντίπρῳ remotu non usque adeò erit difficile. Nova etiam erat conjectura J. Ludov. Vives, quam de corrupto cap. iix. libri xxii. Augustini de Civitate Dei, in Notis ad illud ipsum, proferebat. Et tamen non dubitavit conjecturam istam cum aliis multis viris doctis amplecti, eamq; Pontificiis etiam opponere Iohannes Crocius Reformatus, in Anti-Becano suo ad Manual. Becan. libr. i. cap. vii. de Invocatione sanctorum. (VII.) *Quod scripserint, ipsi pani eucharistia singularem virtutem & gratiam divinam adesse, & eucharistiam ex pane & virtute panis consistare.* Etiam hîc nihil addo. Vide Responsum ad superiorem tuam epistolam §. LXXXVII. circa finem, & Responsum hoc ipsum §. præced. xxii. (VIII.) *Quod scripserint, panem esse corpus Christi figuratè.* Affer loca Iohannes, quibus veteres ita planè sicut tu hîc facis, sint locuti, *Panem esse corpus Christi figuratè.* Et si forte unus & alter ita locutus esset, non ignoras tamen Iohannes, unam hirundinem verè minime facere. (IX.) *Quod scripserint, panem esse figuram & signum corporis Christi, idque verbis Hoc est corpus meum, probent.* Verùm, si veteres panem & vinum figuram aut signum corporis Christi esse scripserunt, an idè statim illud exclusivè intellectum voluerunt, esse nihil aliud quàm signum? Hoc tu nobis proba Iohannes demonstrator. Similiter, si subiectum in verbis Domini τὸ *Hoc*, interpretati sint veteres per *panem*, v. c. Hieronymus in epistol. ad Hedibiam quæst. 2. (ad quem locum toties provocas) scripserit; *Nos autem audiamus PANEM quem fregit Dominus deditque discipulis suis, esse corpus Domini salvatoris, ipso dicente ad eos, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum &c.* an continuò panem, nullo alio respectu, quam quò panis est, intellexerunt, & intellexit hîc ipse Hieronymus. Considerantes analogiam & similitudinem, quæ inter panem & corpus Christi intercedit, benedictum panem symbolum sive figuram corporis Christi aliquando appellarunt. Considerantes verò ex ipsius Christi scito & voluntate, cum hoc

hoc pane ita congiungi corpus Christi, ut sumpto pane ipsum quoque sumatur, & proinde idem esse, sumere hunc panem, & sumere *Hoc* ens, de quo Christus dixit, *esse corpus suum* atque adeò fieri non posse, ut sumpto hoc pane non sumatur corpus Christi, inde factum, ut, cum arctissimum hunc nexum altius in animum demitterent, rò *Hoc*, de quo Christus dixit *esse corpus suum quod pro nobis traditur*, commutaverint voce *panis*, & dixerint, *panem quem Dominus discipulus dederit, esse corpus Domini Salvatoris*. Ut paucis dicam; permutarunt cum rò *Hoc*, quo Servator subiecti loco usus est, vocem *panis*, non quod hæc eadem planè, sed quod conjuncta esse intellexerint, & *pane* sumpto, *Hoc* ipsum ens, de quo Christus affirmavit *esse corpus suum quod pro nobis traditur*, reverà sumi crediderint. Quod si tu pertinaciter voles contendere, veteres hinc censendos *αὐτοὶ ἀνελθόντες* voluisse agere, & persuasos adeò fuisse, rò *Hoc* præcisè *panem* designare, *pani* æquipollere, atq; eam plane ob causam *panem* cū *τὸ* *Hoc* permutasse; cogeris, Iohannes, bonos veteres erroris pudendi & penè palpabilis manifestos, orbi prostituere. Nemo enim sanæ mentis dubitare aut negare potest, rò *Hoc* absolute positum, nec panem, nec aliud quicquam præcisè & secundum rationem specificam ac propriam significare, sed verò significare modo *Hoc ens*, confuse ita & indeterminate, aliud nihil; & specificam ac distinctam rationem ejus, quod demonstrativum *Hoc*, ita confuse significat, è prædicato cognoscendam esse. Hoc certè si quis Patres latuisse, existimare, aut aliis persuadere fortè velit, iniquè admodum de ipsis judicaverit, & intellectum eorum infra hominum de infima quoque plebe captum abiecerit. Quod an tibi facere placeat, cogitandum deinceps relinquo Iohannes. (x.) *Quod scripserint, calices & sancta velamina ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem quæ corpus & sanguis Domini maiestate veneranda esse. Sane notum est, quàm reverenter præsci consecrata panis & vini sym-*

N

bola

bola tractari voluerint. Tertullianus de corona militis cap. III. Calicis aut panis nostri aliquid decuti in terram, anxie patimur. Origenes Homil. XIII. in Exodum: Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevit istis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & VENERATIONE servatis, ne ex eo parum quid decadat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Quod autem Hieronymus fortè (nam hunc Dissertat libr. II. cap. XI. citat) scripsit sacros calices & sancta velamina EADEM quâ corpus & sanguis ejus Majestate veneranda, nosti ipse Iohannes, quàm latè pateat usus vocis majestas, & quod nomina similitudinem significant, quale est idem, non continuò de æqualitate, sed pro re natâ de aliquali convenientia sint intelligenda. Atque ita DECEM tuis è veterum phrasibus contortis, & è Dissertationum tuarum verbosa compilatione breviter à te hîc repetitis argumentis, nervus quoque breviter erit incisus, sicut in præcedentibus, aliis quibusdâ similibus tuis futilibus argumentis quibus magnoperè tibi places à me est factû, & porro deinceps fiet. Appono autem hîc iterum in gratiam tuam & ad rectiorem tui informationem verba doctissimi Calixti, è Disputat. II. de Transsubstantiat. §. LVI. Variis locutionibus & appellationibus hoc mysterium designatum i verunt veteres, prout in eo varia considerata occurrunt, illorumque mentibus sese obtulerunt. Sanè magnitudo & sublimitas ejus tanta est, ut vix verbis exprimi possit. Tutissimum autem & simplicissimum, iis uti, quibus ipse usus est Dominus, ejusque Apostolus. Quæ si accuratè retinemus & sequimur, mutato prædicato mutandum quoque erit subjectum. HOC videlicet, quod unà cum pane insensibiliter accipitur & manducatur, & indicio opus habet, atque sine eo cognosci nequit, corpus Christi dicendum; benedictus autem & fractus panis, xonovia corporis Christi; quæ quidem ante sumptionem quasi de actu primo, tum verò cum reapse sumitur, de secundo intelligenda. Quin AD HAS IPSAS, Accipite, edite, hoc est corpus meum; Panis, quem frangimus, est xonovia corporis Christi cæte-

ras ecclesiasticas veterumque locutiones revocandas, & IVXTA HARUM SENSVM & tenorem INTERPRETANDAS esse, NEMO SANVS AVT PIVS (attende Iohannes demonstratur) unquam dubitaverit.

XXX. Postquam igitur dicta veterum, pro manducatione corporis Christi quæ ore fiat à me prolata, excussisse tibi videris, redeundum existimas ad nonnulla, quæ in epistolâ ad W. F. scripseris, vindicanda. pag. 156. Affirmaveras, phrascs manducare carnem Christi, & bibere sanguinem ejus in c. VI. Iohannis veteres non de manducando corpore, & bibendo sanguine Christi, sed de manducando pane, & bibendo vino eucharistiae intellexisse. Et produxeras verba Augustini ex Enarratione Psalmi xcviij. Acceperunt illud (quod Christus dixerat Nisi manducaveritis carnem filii hominis) stultè: carnaliter illud cogitaverunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo &c. Ille autem instruxit eos, & ait illis, spiritus est qui vivificat &c. Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibeturi illum sanguinem, quem fusi sunt qui me crucifigunt. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. His verbis dicite ostendere voluisse, quod Augustinus in verbis Nisi manducaveritis carnem filii hominis, per carnem filii hominis, intellexerit panem eucharistiae, qui carnis Christi sacramentum seu sacrum signum sit. Idque te ostendere posse etiamnum existimas, & affers has rationes. Primò dicit Augustinus, ais, Iudæos verba Christi Nisi manducaveritis carnem filii hominis, stultè accepisse, de manducatione carnis Christi carnali. Deinde addere, Christum illos instruxisse verbis spiritus est qui vivificat, quibus verbis id voluerit, quod verba sua spiritualiter sint intelligenda. Denique uberores verborum Christi explicationem subijcere istam; Non hoc corpus quod videtis &c. pag. 158. Videantur verba ipsa, paulò ante producta. Ergò, infers, mentem Domini Augustinum explicare sic, quod verbum, Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.

*Dominus non hoc voluerit, quod Iudæi corpus iudem verbis sacramen-
tum i.e. sacrum signum manducandum ac bibendum commendaverit,
& sacramentum seu sacrum signum hoc, intelligendum esse spiritua-
liter. — Istud sacramentum ecquod aliud esse potest, quàm panis & vi-
num eucharistiæ? pag. 158. 159. 160. Verum enim verò, hæc qui-
dem rationes non sunt usq; adeò urgentes mi Iohannes. Quan-
do Augustinus dicit, Iudæos stultè accepisse id, quod ipse de car-
ne filii hominis manducanda dixerat, indicavit simul, in quo il-
la stulta acceptio consistat, quod videlicet cogitaverint Iudæi, præ-
cisurum esse Dominum particulas quasdam de corpore suo, & datu-
rum ipsis. Contrà hanc stultam acceptionem dicit porrò Augusti-
nus instruxisse eos Dominum, & iussisse eos spiritualiter intelli-
gere quod locutus sit. Quod spiritualiter, cum superiori carnaliter
opponat, spiritualiter verba Domini intelliget, qui non carna-
liter (modo scilicet illo carnali ab Augustino expresso) ea intel-
liget. Hactenus itaque non multum difficultatis in verbis Au-
gustini fuit. Durius autem non nihil sonare dixi verba quæ se-
quuntur; Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibaturi
illum sanguinem quem fusi sunt qui me crucifigunt, sacramentum,
aliquod vobis commendavi. Spiritualiter intellectum vivificabit vos
&c. Sacramenti vocem tu hîc præcisè capis pro sacro signo, &
quidem pane & vino ipso eucharistiæ, quomodo vocem eam ab
Augustino aliquando capi, equidem non nego. Significat ta-
men sacramentum, etiam rem aliquam sublimiorem, abstrusio-
rem, & quasi reconditam, & ita in hac ipsa etiam Psal. xci ix.
Enarrat. vocem eam accepit Augustinus. Postquam enim scan-
dalizatorum Lxx. fermè discipulorum opinionem & sermo-
nem, quo dixerunt, durus est hic sermo, recensuit, subiungit: Ipse
erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, di-
cerent sibi: Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacra-
mentum latens. Vbi si per sacramentum intelligeretur panis, sc-
eucharistiæ, quomodo S. Doctor illum appellasset sacramentum
latens?*

latens ? Panis enim ille est tale signum, quod visui etiam est expositum, & ita minimè aliquid latens. Illud autem quod hic vocavit *sacramentum latens*, quidni pariter intellexerit Augustinus, quando in sequentibus sensum verborum Domini sic exponit : *Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos* ? Nulla certè est ratio, quæ me moveat, ut vocem *sacramenti* hîc aliter accipiam, quàm in proximè præcedentibus Augustino est usurpata. Nec ignotum est illud Hieronymi, epistolâ CXIII. ad Paulinum scriptâ : *Apocalypsin Iohannis, tot habere sacramenta, quot verba*. Et hæc significatio vocis *sacramentum* præsentî loco satis benè convenit, ut non necessum sit priorem quam tu proponis, unicè amplecti. Priora autem verba loci quem tu hîc adductum urges ; *non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem &c.* in libello meo ego sic eram interpretatus ; *corpus hoc quod viderent, non eo modo & sub eâ ratione quâ viderent, manducatueros esse &c.* Quod tu sic accipis, *manducatueros esse*, me voluisse, sed non visuros tamen. pag. 162. Ego verò & tò visum iri & in universum, sensu perceptum iri, in verbis illis meis exclusum esse volebam. Hoc jam tibi *frivolum* videtur pag. 162. Verba Augustini, ais per se nimis clara esse, oppositionem, quæ sequatur, ostendere, quod corpus Christi nullo modo manducandum ore voluerit. Non hoc corpus quod videtur, dicere Augustinum, *manducaturi estis, sacramentum aliquod* (i. e. ut tu interpretaris, *sacrum signum, panem eucharistia*) commendavi (istis verbis, nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.) vobis. Ex quibus, subdis, quis aliud intelligat, quàm mentem Augustini fuisse hanc, Dominum verbis istis nullo modo corpus suum, sed tantùm sacramentum seu sacrum signum corporis sui, ore manducandum commendasse ? pag. 162. Verum mi Iohannes, oppositio illa quam tu urges, mihi satis erat conspecta, nec dissimulaveram, hâc parte verba Augustini durius sonare. Interim & exclusivam tantùm, quam tu pro more, quo absolutè dicta, tanquam exclu-

sivè prolata essent, admodum inscitè intelligere amas, hinc infercis, in textu minimè est, nec subintelligendam textus necessariò poscit. Vocem quoque *sacramentum* hinc continuo pro *sacro signo* pane eucharistico accipere, nulla prorsus exigit necessitas, & falsum est quod tu scribis pag. 160. *sacramentum quod Dominum Iudæis commendasse Augustinus vult ecquod aliud esse potest, quam panis & vinum eucharistiæ*? satis enim aptè hic, per *sacramentum*, res abstrusior & arcana intelligi potest, sicut paulò ante indicavi. Sed ad illa verba, *non hoc corpus quod videtis, manducatur estis* &c. est mihi revertendum. Memineram Iohannes, Ambrosium libr. 11. de Poenitent. cap. x. & *fabulis* referre, *quendam adolescentem propter amorem meretricis peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrissè dilectæ, quæ, ubi non interpellata, mirata, putaverit non recognitam; & rursus occurrens dixerit: Ego sum. Illum verò respondisse, sed ego non sum, qui tamen accidentia tantum, veterem affectum & amorem mutaverat. Ad eum itaque modum existimabam me non inscitè posse interpretari ista; Non hoc corpus quod videtis manducatur estis, non hanc sensibili ratione hoc corpus manducabitis. Et quia noveram, non docere ab usitatâ & obviâ verborum significatione recedere, nisi textus circumstantiæ aliter exigant, indicaveram, præcedere in textu hæc diserta verba: *Quia in ipsâ carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit; iisque recitatis, adieceram; Ecce, caro in quâ Christus hic ambulavit, quæ prius adoranda est antequam manducetur, illa inquam caro nobis datur ad manducandum. Non ergo per carnem, panem hic intellexit Augustinus. Certè, vel contradixerit sibi ipsi turpiter Augustinus, in unius & eiusdem versiculi enarratione, & verbis non longè à se distantibus, vel explicatio aliqua verborum à Vorstio adductorum, necessariò erit admittenda. Hunc tibi objectum nodum Iohannes, non solvis, sed animosum Alexandrum imitatus, violenter secas. Ve-**

tum inquis, in illis ipsis proximis (Augustini verbis) vox caro, de
 carne Christi proprie dicta, accipienda per omnia non est, verum com-
 ma secundum & tertium, accipienda sunt de carne Christi figuratè di-
 cta, id est, de pane eucharistia, pag. 163. 164. Sed hæc tua nuda &
 frivola assertio, eadem facilitate à me rejicitur, quâ à te est al-
 lata. Nec enim vel tantillum rationis addidisti, propter quod
 vox carnis, in posterioribus commatibus, significationem pro-
 priam, quam in priore habet, non debeat retinere. Tantum
 sollicitus es monstrare, nihil *obstare* quo minus possit impropria
 vocis caro significatio, in posterioribus illis commatibus ad-
 mitti. Dicis non *obstare* quod Augustinus dicat, ipsam carnem
 nobis manducandam ad solutem dedit. Nam voculam ipsa, *adjicere*
 (veteres) etiam cum de carne Christi figuratè dicta (fidelibus) agant.
 Et adducis exempla. Verum ego voculam ipsa non urseram,
 etsi, cum in priore commate voci carnis propriè sumptæ adjun-
 cta sit, causam tu nullam potueris afferre, quare non in proxi-
 mè sequentibus cum eadem voce repetita, eandem signifi-
 cationem in voce carnis retinendam esse, indicet. Urseram verò
 ego vocem adorandi, quod dixisset Augustinus, neminem illam
 carnem manducare, nisi prius adoraverit, imitatus Ambrosium li-
 bro III. de spiritu sancto cap. XII. scribentem per scabellum (ado-
 rate scabellum pedum ejus Psal. 98.) terra intelligitur, per terram
 autem, caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam
 Apostoli in Domino Iesu, ut supra diximus, adorarunt. Hanc ado-
 rationem carni Christi figuratè sumptæ, pani eucharistico,
 quem tu hic intrudere satagebas, non competere per se est ma-
 nifestum. Hic jam tibi nihil superest, præter solenne artifi-
 cium torsionis. Et causæ itaque, per adorationem Augusti-
 num non adorationem religiosam intelligere, quæ soli Deo debeatur,
 sed externam modò venerationem. Subjungis hæc exempla. In ex-
 plicatione Psal. XXI. scribit ille sic: Manducaverunt corpus humili-
 tatis Domini sui (i. e. ais, panem eucharistia, qui corpus Domini fi-
 guratè

guratè dicitur (quæ est petitio ejus quod erat in principio) *etiam*
divites: non sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tan-
tum adoraverunt (corpus Domini.) Et in epist. cxx. Et ipsi addu-
ci sunt ad mensam Domini, & accipiunt de corpore & sanguine ejus.
Sed adorant tantum (corpus Domini) non etiam saturantur, quia
non imitantur. E quibus jam ita ratiocinaris; Quia tò adorare
 corpus Domini, etiam impius tribuit, &, quia dicit, impios adorare
 corpus Domini tantum, satis intelligitur, quod adorare hîc rem non
 adeò magni momenti significet, quodque NON significet ADORA-
 TIONEM RELIGIOSAM & quæ soli Deo debetur, sed exter-
 nam modo venerationem. pag. 164. 165. Verum mi Iohannes, si
 tibi licet ita pro arbitrio significationem vocis adorandi famo-
 siorem ut vocant, eludere eo prætextu, quia alibi fortè Augu-
 stino vox illa capiatur pro veneratione externa & non-religiosa;
 licebit Socino alicui aut Smalcio pari temeritate, ad objecta
 forsau sibi à Christianis verba Hebr. 1,6. & adorent eum (Filium)
 omnes Angeli, ex ore tuo cavillari, vocem adorandi in ipsa scri-
 pturâ sæpius externam modo venerationem significare, idque
 exemplis prolatis, magis speciosè, ac tu hîc fecisti, probatum
 illicò dabit: Atque ita validissimum pro divinitate filii Dei ar-
 gumentum prorsus enervabitur. Hîc tu responde Iohannes,
 sed ita, ne in te ipsum sit reditura responsio, & magnam à me
 laudem reportabis. Futilissima porrò erit consequentia tua,
 quam ex allatis duobus exemplis confeceris mi Iohannes: im-
 pij etiam alicubi ab Augustino dicuntur adorare corpus Christi,
 ergò tò adorare non significat hoc nostro loco adorationem re-
 ligiosam, quæ soli Deo debetur. Esto, adorare carnem Christi
 quando impiis tribuitur, non significet adorationem religio-
 sam; ergò etiam quando dicitur, NEMO illam carnem man-
 ducat, nisi prius adoraverit, vox adorandi pariter non significa-
 bit adorationem religiosam? Sanè Augustinum verbis illis, ne-
 mo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, non nisi religio-
 sam

sam adorationem intelligere, & verba antecedentia, & proxime sequentia liquidò ostendunt. Adscribo totum locum. *Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quero hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Si aliam quàm religiosam adorationem intellexisset Augustinus, non necesse habuisset hic timere, non potuisset adorationi impietatem additam vereri, antequam cognovisset, carnem Christi quam de carne Mariæ accepit & in unitatem personæ suæ assumptit, esse obiectum adorandum. Qui hic mihi poterit probare, Augustinum aliam quàm religiosam adorationem intellexisse, eum ego admirabor. Et, quod è fundamento illud iam probas Iohannes, quod illi, quorum Augustinus hic facit mentionem, tunc quando adorant corpus Domini, fuerint impii? Non enim sequitur profecto; hic communicans non saturatus est usque ad imitationem, Ergo fuit communicans impius. Nam ad pietatem communicantis, sive, ut dignè aliquis utatur S. Eucharistiâ, sufficit verum propositum imitandi. Quicunque à peccatis suis verè resipiscit, adeoque corde contrito & verè fidei accedit ad hanc coenam, ille est pius communicans, licet paulò post ad vomitum reversus, denuò peccatis det operam adeoque propositum muret & non imitetur. Aliàs si lex imi-*

O

tatione

ratione subsequente judicandum sit de pietate communicantis, sequeretur hinc, paucissimos, imò vix quosdam, etiam sanctissimos habitos, unquā dignè sacrā Eucharistiā usos esse, antequam illā pro ultimo viatico sunt usi. Quotusquisque enim est, qui proposito *imitandi* ex asse satisfaciat? Cum itaque non sit impius dicendus, qui de præsenti pius est, licet postea ad impietatem prolabatur, etiam illi qui non saturantur usque ad *imitationem*, possunt esse pii, si scilicet tunc, quando S. Eucharistiā utuntur, sint verè poenitentes, adeoque propositum *imitandi* habeant. Atque ita nondum evictum est quod tu pag. 165. asseris. Augustinum Tò *adorare corpus Domini* etiam impiis tribuere. Dū adorarunt, cessarunt esse impii, sed deinde accidit iis, quod proverbio dici solet: *canis reversus ad suum ipsius vomitum, & sus tota ad volutabrum cæni*, II. Petr. II. vers. 22. Et apparet adeò iam ex his, frustrā te fuisse quando scripsisti pag. 166. *vides ergo mi Titii, non fuisse causam, cur super verbis Augustini porro scriberes*; certe vel contradixerit sibi turpiter Augustinus in unius ejusdemq; versiculi enarratione, & verbis non longè à se distantibus, vel aliqua explicatio verborum à Vorstio adductorum (*videlicet non hoc corpus quod videtis manducaturi estis*) necessariò erit admit-tenda; apparet, frivolum esse quando §. xxvii. ita finis: *verba*, Nemo illā carnem manducat, nisi prius adoraverit *intelligi* POS-SE imò *debere de carne Christi improprie dici, id est, de pane eucharistiae*, pag. 167.

XXXI. Hic porro dicis, te *preter illa quæ jam excussa sunt Augustini verba, varia adhuc alia congesse, quibus probares, verba* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, *veteres non de manducando ore ipso corpore Christi, sed de manducando pane eucharistiae intellexisse. Verum, quæ præcipua fuerint, eame planè transiisse*, pag. 168. Verum est Iohannes, loca quædam à te producta me prætermisisse. Nec enim alia ferè, quàm unius Augustini, porro

porrò convalesceras. Præcipua autem me prætermisisse, planissime falsum est, cum potius quæ præcipuè quandam speciem haberent, explicanda mihi sumpserim. Quod si Augustinus de manducatione *spirituali* ad cap. vi Iohannis sæpius concionatur, idè non excluderet prorsus oralem; & sententia unius Augustini, non est sententia *veterum*, ne quidem est solius Africanæ totius ecclesiæ sententia. Quid itaque præjudicent nobis Augustini quædam dicta, quantumvis in speciem pro tua intentione facientia? quid opus esset ad illa respondendo multum occupari? inter præcipua interim, quæ me transiisse dicis peculiariter hîc recensens illa, in epistolâ ad W. F. pag. 129. & commentatione ad cap. vi Iohannis, ad verba, *Et panis quem ego dabo, caro mea est*, à te prolata: *Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem.* Vocatur (panis eucharistiæ, addis) caro, quod non capit caro. Et idè magis non capit caro, quia vocatur caro. Ex his tibi manifestè apparet, quod Augustinus putaverit, Dominum panem eucharistiæ vocasse carnem, pag. 167. At si Augustinus per panem quî vocetur caro, nudum panem intellexit, sicut tu eum exponis, quâ veritate potuit dicere *carnem hoc non capere*? Panem enim figuratè corpus Christi esse, signum & symbolum corporis Christi esse, adèd nihil sublimis aut arcani habet, ut mortalium etiam simplicissimi illud capere & intelligere possint. Post hæc delaberis denuò ad istud Augustinianum, *sacrificium ecclesiæ duobus constare, visibile elementorum specie, & invisibili Domini nostræ Iesu Christi carne & sanguine, sacramento & re sacramenti.* Non dum satis videris in eo detorquendo suprà tibi cavisse. Dicis ergò hîc, te illud produxisse eo, ut ostenderes per sacramentum veteres NIHIL ALIUD quàm sacrum signum intelligere, quod nec à me negetur. Scribere enim me ipsum pag. 116. libelli mei, in sacramento, hoc est, in & sub sacro signo. pag. 169. Sed bis uno halitu falsum dicis Iohannes. Falsum est, sacramentum veteribus nihil aliud quàm sacrum signum significare, sicut §. præced. iam

indicavi, & facile pluribus ostendi potest; falsum etiam est me ipsum dixisse, sacramentum nihil aliud quam sacrum signum significare. Quilibet qui verba libelli mei intuebitur, deprehendet te hoc finxisse. Iam producta Augustini verba incipis denudò divexare. Per *invisibilem Domini nostri Iesu Christi carnem & sanguinem*, Augustinus tibi non corpus & sanguinem Christi propriè dicta & ex virgine oriunda intellexit, idque putas te demonstrasse (utes demonstrator apprimè doctus) in pag. 38. & proximus sequ. libri 11. Dissertation. quo iam supra merelegaveris; ad quod verò suo loco à me est responsum. Hic tantum repetis, quod invisibilem illam carnem & sanguinem Christi, idem Augustinus mox rem sacramenti vocet. Per rem sacramenti autem IN ALIIS LOCIS nihil aliud quam divinam virtutem & efficaciam panis & vini intellexerit, pag. 170. Quasi vero quaeratur, quid in aliis locis Augustino res sacramenti significet! Redde rationem, quare hoc loco res sacramenti non debeat censerì idem cum præcedentibus, *invisibili carne Christi & sanguine*? Sophistæ ita agere solent, ut significationes verborum in uno loco, advocatis sine causa significationibus, quæ eadem verba in locis aliis, & aliâ occasione accum aliis circumstantiis prolata habent, permutare, & elusiones atque effugasibi parare laborent. Ex hac disciplina petisti, quod exempla affers in quibus *res sacramenti* non significet corpus & sanguinem Christi; & quia in illis, *res sacramenti* non significet corpus & sanguinem Christi, contendis, oportere in alteris (de quibus internos disputatio est) quoque non ita accipere, pag. 171. Sophisticum & veteratorum est ita agere, aut ludere potius, demonstrator Iohannes. Violentum porrò, & omni idoneâ ratione destitutum, imò ridiculum planè est, quod *invisibilem Christi carnem & sanguinem*, de nescio quâ divinâ virtute & gratiâ, quam panis eucharistiæ infundi atque inesse veteres toties prodiderint, hoc loco accipienda esse, nobis persuadere laboras. Eadem certè facilitate, è pulice camelum procu-

procudere cum tempore possis. De virtute autem illâ, supra
S. XXIV. tecum egi.

XXXII. Paginâ 117. libelli mei scripseram, videre me,
cumprimis animum tuum vehementer percellere hæc duo (1.) quod
veteres toties dicant, Dominum panem appellare corpus suum (2.) quod
iidem multoties asserant, panem & vinum signum & figuram corporis
Christi esse. Hæc tu repetis pag. 171. & tum adscribis: Verum,
quod præcipue animum meum percellit, id tu mi Titi, non observasti,
vel, si observaveris, dissimulasti. Si veteres simpliciter scripserint,
panem esse corpus Christi, & panem esse signum corporis Christi,
non adeò animum meum id percelleret, ut existimarem, corpus Christi
proprie dictum pani eucharistiæ adiunctum esse, cumque hoc ipso ore
manducari veteres non credidisse. Quod autem animû meum vehemen-
ter & præcipue percellit, id hoc est, quod veteres, cum scribunt, panem
esse corpus Christi, & panem esse signum corporis Christi, idem
hoc verbis Hoc est corpus meum probare student. Quî quæso, pa-
nem esse corpus Christi, verbum Hoc est corpus meum, probare vel-
le potuissent, nisi voculam Hoc de pane, & corpus de signo corporis
accepissent? pag. 172. Ergò hoc demum illud est, quod animum tu-
um ita vehementer percellit, quod, cum veteres dicant, panem esse
corpus Christi, soleant id aliquando probare prolatis verbis Do-
mini, Hoc est corpus meum! Fiat ergò syllogismus. Qui dicit, pa-
nem esse corpus Christi, & id probat istâ ratione, quia Dominus
porrecto pane dixerit Hoc est corpus meum, is existimat Tò Hoc
(in casu recto) denotare panem. Veteres dicunt panem esse
corpus Christi idque probant ista ratione, quia Dominus porre-
cto discipulis pane, dixerit, Hoc est corpus meum. Ergò veteres
existimarunt Tò Hoc (in casu recto) denotare panem. Nego
statim illam majorem, & affirmo limitandam esse hunc in mo-
dum: Qui dicit panem esse corpus Christi, & id probat ista
ratione, quia Dominus porrecto pane dixerit Hoc est corpus me-
um, is vel existimat vocabulum Hoc (in casu recto) denotare pa-
nem,

nem, vel existimat, *tò Hoc*, de quo Christus affirmavit esse corpus suum, esse conjunctum cum pane, ut videlicet idem sit, sumere panem, & sumere corpus Christi. Hâc limitatione in prædicato conclusionis, uti par est, repetitâ, concedo totum argumentum. Quod si rationem factâ à me limitationis fortassis scire aves Iohannes, invenies eam §. præced. xxix. ubi hanc ipsam objectionem tuam satis jam abunde dissolvi. Minori probandâ, faciunt illa tria loca, Theodoreti, Tertulliani & Augustini quâ hic adscripsisti, gemina planè illi Hieronymiano, ad quem §. xxix. ad argumentum tuum ix. respondi. Nichil attinet ista hic repetere, neque enim minorem syllogismi, è tuâ sententiâ modò confecti, nego. Verba Augustini tamen, in Cap. xii. libri c. Adimantum Manichæum, quâ hîc attulisti, cum tuis assumentis hîc putavi adscribenda: *Non dubitavit* (hoc est, non est veritus, quod in nostra linguâ diceremus, *Er hat kein bedenken getragen*) *Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum* (tamen) *signum corporis sui daret*, pag. 174. Hîc tu verò mi Iohannes, malè tuum illud *tamen* in parenthesi infercis, ut vel sic lectori opinionem tacitè injicias, Augustinum exclusivè fuisse locutum, & hoc voluisse; Dominum dixisse, *Hoc quod daret, esse corpus suum, cum signum* tamen tantum *corporis sui daret*. Remoto itaque tuo illo *tamen*, & ego non vereor idem dicere, quod dixit Augustinus, Dominum verissimè dixisse, *Hoc est corpus meum, cum signum corporis sui daret*. Sicut enim illis verbis non asseritur, signum tantum sui corporis fuisse illud, quo dato Dominus dixit *Hoc (ens) est corpus meum*: ita nec negatur isdem, signum illud plus quàm merum signum: non negatur, inquam, fuisse ita signum, ut simul fuerit *σῆμα* corporis Christi. Nec censeri potest hoc negare voluisse Augustinus, nisi eâdem operâ à doctrinâ Pauli & Christi discedere voluisse censeatur. Verba itaque illa Augustini, nec tuam causam apertè juvant, nec meam apertè lædunt.

XXXIII. Porro scripseram ego libelli mei pag. 121. injuriam te fecisse Chemnitio, quod contenderis, illum particulam *Hoc*, in verbis Christi, non nisi de pane accepisse, ac deinde mentem ejusdem Chemnitii explicaveram his verbis: *Non loquitur ibi Chemnitius de solo atque unico pane, de non nisi pane, (ut Vorstius loqui solet) extra unionem sacramentalem spectato, sed aliquoties, & prolixè quidem in citato illo capite repetit, ratione unionis sacramentalis predicari alterum de altero. Ut ita, quicquid sit de modo loquendi, in sensu tamen Chemnitius à Vorstio & Reformatis longissimè dissideat.* Ad hæc tu: *Quod dicis quicquid sit de modo loquendi, fateris FERME, Chemnitium voculam Hoc, non aliter accepisse, quàm ego accipio, ut, Hoc est corpus meum, nihil aliud sit quàm, Hic panis est corpus meum. Iam quod ad sensum attinet totius enunciationis, fateor, Chemnitium à Reformatis, atque adeò à me ipso quoque dissidere, & æquè ac te, corpus Christi à διασάτως conjunctum atque unitum pani statuere. Verum de eo nunc non queritur, quem sensum Chemnitius ex totà enunciatione ceperit, sed tantum, quid de enunciationis subjecto, quod est vocula Hoc senserit.* pag. 178. Nescio ferè quid tibi velis Iohannes. Fateris Chemnitium, æquè ac ego faciam, corpus Christi pani διασάτως conjunctum statuere. Litigas tantum de eo an ex subjecto, an ex totà enunciatione quâ Dominus est usus, sensum illum ceperit. Id verò ad assertionem meam perinde est, unde ille sensum istum ceperit; sufficit mihi, te concedere coactum, quod illum sensum panis revera Chemnitius ceperit. Non video etiam quo jure hæc opponas; ex subjecto intelligere, &, ex totà enunciatione intelligere. Cum, qui ex subjecto hic intelligat, non possit non ex totà enunciatione intelligere. Extrà enunciationem enim nihil habet rationem subjecti. Retineo itaque confessionem tuam, quod cum Chemnitius particulam *Hoc* in verbis Christi de pane accepit, & scripserit, *de pane prædicari quod sit corpus Christi, à te & Reformatis in sensu propositionis Hic panis est corpus meum, longissimè*

gissimè dissideat, & corpus Christi, panis à διαζυτος conjunctum omninò statuatur. Ita enim neutiquam panem, *non nisi de pane intellexerit*, sicut tu in epistola ad W. F. pag. 91. illius verba inscitè capiebas. Sed instas tu tamen: *manifestum est, ad voculam Hoc non subaudivisse illum, quod tu volebas*, Quodcum pane porrigo, *sed voculam Hoc, de pane prorsus in casu recto accepisse, ut Hoc est corpus meum nihil aliud sit, quàm si dictum esset*, Hic panis est corpus meum, pag. 176. Ita quidem est ut dicis, Iohannes, & ponit Chemnitius vocem panis in casu recto, sed idèone nihil ille ad eam vocem subaudit? Hic tu verò jam urges porrò; *de quamam igitur re præter panem, voculam Hoc illum accepisse putabis? an de ipso corpore Christi quoque? ut, Hoc est corpus meum, explicandum sic voluerit*, Hic panis & Hoc corpus meum est corpus meum? Atquì talis locutio inepta per se est, nec Chemnitius in eam sententiam uspiam scripsit. pag. cit. Non necessum fuit Iohannes, propositionem Christi à Chemnitio exponi illo modo quo tu facis, sed potuit ad panem in casu recto prolatum, subiutelligendum velle corpus Christi in obliquo connotatum, in hunc circiter modum; panis ut sacramentaliter unitus corpori meo est corpus meum, sicut tibi ipsi hoc occurrit. pag. 179. Sed & sic locutio inepta tibi fortè est, quam pag. 179. cum frivolum etiam vocasses, porrò objicis, *immane quantum differunt vox panis sola, & voces panis unitus corpori Christi, neque ex eo quod quis dicit hic panis est corpus Christi, intelligi potest quod per panem intelligat talem panem, qui corpori Christi sit unitus. Qui intelligi talem panem velit, qui unitus sit corpori Christi, illum oportet verba unitus corpori Christi, disertè adijcere. Quod quia neque Chemnitius, neque Doctores Ecclesiæ veteres fecere: in enunciatione quam frequentarunt Panis est corpus Christi; per vocem panis nihil amplius intelligi potest, quàm ipsa illares quæ panis appellatur*. pag. 179. 180. Respondeo Iohannes; quod tu objicis, propositionis hic panis est corpus Christi, expositionem istam, Hic panis ut unitus

COR-

corpori Christi est corpus Christi, *per se ineptam* fore, ad hoc tibi sciendum esse, planè diversa esse hæc duo, quæ tu commisces, quid Chemnitius hîc senserit, & quàm aptè sese explicuerit, aut explicare etiam potuerit. De priore inter nos quæstio est, ubi ego asserui, & etiamnum assero, Chemnitium per panem non intellexisse eum, qui non nisi panis est, sicut tu panem intelligis. Et hoc ita esse, productis ejus verbis, quibus pani *unionem* cum alio tribuit, manifestum statim feci. Quin tu ipse id, postquam diu multumque tricatus es, fateri cogeris, quando scribis; *Ceterum de Chemnitio verum quidem est, quod panem uniri corpori Christi, & corpus Christi uniri pani ille statuerit.* pag. 180. Nec quicquam officit mihi, quod tu statim apponis; *Verum hanc opinionem suam, non ex voce panis intelligi voluit, sed ex copula prædicati cum subiecto* (puto te voluisse dicere; ex collatione prædicati cum subiecto) atque adeò ex totâ enunciatione. Vndecunque hoc intellexerit Chemnitius; sufficit mihi te fateri coactum, illum per panem non intellexisse panem qui nihil aliud esset quàm panis, sicut tu quidem panem hîc intelligis, & ita perperam à te ad partes esse abreptum. De altero autem illo, quàm aptè Chemnitius ita locutus *panem esse corpus Christi*, sese explicuerit, aut explicare etiam potuerit, non est ut ego multum laborem, qui locutionem illam non adhibeo, nec autor alicui sim ut eam adhibeat. De veteribus, illo loquendi modo usis quid sentiam, cognoscès è Resp. ad superior. epistolam §. LXXXIV. Restat objectio quam pag. 177. affers: *qui dicit, vocabulum quoddam in oratione quâdam denotare aliquid, ejus mens non est, quod idem vocabulum in oratione eâ etiam aliud quidpiam denotare possit, sed vult, vocabulum in oratione eâ illud quod significat, solum significare.* Inquam sententiam dicis te in superiore epistola verba Aristotelis citasse ex libr. xi. Metaph. cap. 5. oportet unumquodque significare unum & non multa, sed unum tantum. Quibus nunc addas illud, quod libro 111. Metaph. cap. 4. scribat; *Non unum quid significare,*

care, esse nihil significare, pag. 177. Vnde verò mi Iohannes, rectius cognoscere licet, quo sensu aliquis vocabulum abs se in oratione positum voluerit, quàm ex ipsius illius propriâ declaratione? annon unusquisque est optimus verborum suorum interpret? An non citavi Chemnitii verba sole clariora, *ratione unionis* corpus Christi de pane prædicari affirmantis? Qui autem pani unionem cum aliquo alio tribuit, is quâ ratione, quo jure, quæso, quando pani istam unionem cum alio tribuit, *solum panem, non nisi panem* intellexisse dici potest? De locis Aristotelis, Responso ad superiorem epistol. §. LXXI. videbis. Adhuc tamen pertinaciter instas: *quamvis Chemnitius non disertè scripserit, particulam Hoc denotare solum panem, & non nisi panem, tamen quod mens ejus hæc fuerit, id satis intelligi licet ex eo, quod scripsit, particulam Hoc, denotare illud quod Dominus in manus sumpsit. Constat autem, Dominum non cum pane corpus suum, sed panem solum in manus sumpsisse*, pag. 178. Sed quid inde mi Iohannes? Aliud utique est, rò Hoc denotare panem, quem solum Dominus in manum sumpsit: & aliud, rò Hoc denotare panem, quâ vel quatenus eum solum Dominus in manum sumpsit. Prius si dixisse censeretur potest Chemnitius, non statim ideo in animo habuit & posterius. Sed tu porro urges. *Nimirum ipso hoc quod dicit, voculam Hoc denotare panem, significat, voculam eam denotare solum panem, & non nisi panem*, pag. cit. At mi Iohannes, frustra iterum es, & aliud denuò est, vocem *panis* non plus significare quàm panem, quod hic admittitur; aliud, vocem *panis* omnis alterius, secum uniti exclusionem importare, quod Chemnitium noluisse ex eo palam est, quia te ipso pag. 180. hic fatente, *corpus Christi uniri pani ille statuerit*. Dum hæc scribo, incido in libellum Lipsiæ MDLXXXI excusum, qui hunc titulum præscriptum gerit. Scriptum quo ostenditur, quomodo verba Cœnæ Dominicæ Sacramentarii involvant, pervertant &c. olim à M. MARCO MENNINGO Superattendente in urbe Bremâ senatui exhibitum,

bitum, cui opponuntur duæ Responſiones, D. MARTINI CHE-
 MNITII Superintendentis Brunſwicenſis, & DNI M. VALENTINI
 SCHACHTII Profeſſoris in Academia, & concionatoris in Eccleſia
 urbis Roſarum. Vnum opus eſt, & illi ſcripto Marci Menningi,
 & Reſponſioni utrique tum Chemnitianæ, tum Schachtianæ,
 agere de propoſitione illâ, *Panis eſt corpus Chriſti*. Chemnitii
 Reſponſum eſt breviffimum, vix duas cum dimidia paginas in
 forma octava, ut, vocant implens. Finiens illud, ita inſit: *Ergò
 ex definitione tropi, prædicatio, panis eſt corpus Chriſti non eſt
 tropica ſeu figurata: nec etiam regularis eſt prædicatio, quia diſparatæ
 ſpecies ſunt panis & corpus Chriſti, quæ de ſe prædicantur: Inuſitata
 igitur eſt prædicatio, oſtendens CVM pane viſibili in uſu cœnæ SIMVL
 adeſſe & exhiberi verum corpus Chriſti*. Valentinus autem Schach-
 tius in ſuâ, & prolixiore quidem Reſponſione, creberrimè at-
 que apertiffimè inculcat quid per panem noſtri, in propoſitione
 illâ, *Panis eſt corpus Chriſti*, intellectum velint. Ita ſtatim Re-
 ſponſionem orditur Schachtius. Numero 1. adſirmatur (à Men-
 ningo) Panem cœnæ eſſe corpus Chriſti verum, naturale, ef-
 ſentiale; ſed addenda eſt hæc declaratio, per panem non intelligi tan-
 tum debere nudum piſtorium panem, ſed ampliata ſignificatione rem
 etiam cœleſtem ei conjunctam unionem myſticâ in uſu, corpus Chriſti ſci-
 licet. Nam ſi panis extrâ unionem myſticam in cœnâ conſideretur per
 ſe ſolus, non eſt verum eſſentiale & naturale corpus Chriſti: Verum ſi
 conſideretur myſticè unitus cum corpore Chriſti in uſu cœnæ, rectiffimè
 dicitur verum & naturale ſeu eſſentiale corpus Chriſti. Nam propter
 individuum veram & realem connexionem rei terrena & cœleſtis,
 non male res cœleſtis, hoc eſt corpus Chriſti de re terrena ſeu elemen-
 to panis prædicatur. Similia deinceps vel decies repetit, ego
 verò unum & alterum tantum ſpecimen hîc appono. Pagina 34.
 Numero 4. Dicitur (à Menningo) Panis ille cœnæ &c. Ibi adden-
 dum eſt, ſcil. cui unitum eſt myſticè corpus Chriſti in uſu. Pag. 35.
 Numero 9. Idem igitur eſt dicere &c. Panis ſcilicet cui myſticè uni-

rum est corpus Christi in actione. Hæc declaratio semper est addenda quoties dicitur panis esse *essentiale seu naturale corpus Christi*. Pag. 36. Numero undecimo scribitur: Dominus panem appellatione corporis sui honoravit: Ibi addendum est, panem scilicet non nudum, sed habentem sibi mysticè copulatum corpus Christi. Non igitur tam ad substantiam panis, quàm ad unitum ipsi corpus Christi prædicatum respicit. Non libet similia plura adducere, & erat integra penè Responsio illa in hunc sensum describenda, nisi lectori tædium creare nollem. Percipies autem vel ex his Schachtii verbis Iohannes, quàm malè Epistolâ priore, à pag. 39. usque ad pag. 59. verba Theologorum nostrorum, quorum conglomeratam nubem mihi obducis, sis affecutus, & pejus multò suffulciendæ tuæ causæ in medium protraxeris.

XXXIV. Antequam finem facias scribendi, operæ prætium tibi videtur ad duo quædam à me objecta adhuc respondere. Vnum est, quod libelli mei pag. 124. è libro Chemnitij quem de fundamentis cœnæ, ut vocat, scripsit, citaverim: Hoc certum est, adversarios in tota antiquitate non posse certò, clarè & explicitè ostendere suam illam negativam, quod verum Christi corpus non adsit in cœnâ, & quod salvâ corporis veritate non possit simul in cælo & in cœnâ esse. Item ex ejusdem alio libro: Licet cumulentur dissimiles sententiæ ex Patribus, tamen negativa eorum sententiâ nullibi manifestè reperitur, cum affirmativa toties repetita exstet. His ita repetitis, subdis tu: Affirmativa, quam toties repetitam in scriptis Patrum exstare, censeat Chemnitius, est illa, quod corpus Christi propriè dictum, à discipulis in sacrâ cœnâ adsit, ibidemque panis unitum ore hominum manducetur. Verum enim verò, affirmativa ista in scriptis Patrum NVSQUAM reperitur, pag. 182. Nisi in oculis quibusdam, quibus hic deditâ operâ tibi cavere voluisti, Iudas Iohannes Vorstii, impudentiæ & falsitatis notam effugere hic minimè poteris. Admitto sanè, quando Patres in hoc negotio nominant corpus Christi, non consuevisse voculas propriè dictum,

flum, apponere, & quando dicunt, corpus Christi manducari, ore illud manducari, non semper adjicere, vocem quoq; ἀδιδεσ-
 τως, & voces *unum panis*, vix deprehendi usurpare, ferè sicut
 ante enatum Arium τὸ ὁμοῖον nō solebat frequentari. Talibus
 nimirum adjectis vocibus, recentiores coegit uti vafrities eor-
 um, qui verbis in speciem compositis, corpus Christi in sacrā
 cœnā præsens esse, ibidemque verè manducari, magnificè qui-
 dem ebuccinarunt, sed idem interim, tanto locorum intervallo ab
 ipsa sacrā cœnā in his terris administratā abesse, quanto cælum abest à
 terrā, vapido sub pectore occultarunt, & quando commodum
 videbatur, etiam apertè prolocuti sunt. Patribus sufficiebat
 dicere, nos verè carnem Christi manducare, ipsam carnem Christi nos
 manducare, manducare nos corpus Christi, quod natum est de virgine,
 & bibere sanguinem qui nos redemit, quomodo Patres passim lo-
 cutos, tu ipse Dissertation. libro II. Cap. IX. pag. 182. satis pro-
 lixè es confessus. Qui corpus Christi dicit, sine addita aliqua de-
 terminatione alienante quam vocant, corpus propriè dictum
 hoc ipso intelligit, ut non sit opus illud seorsim addere. Voces
 enim per se positæ, stant pro significato famosiore. Eteadem
 ratio est de voce *manducandi*, cui absolute prolata, supervaca-
 neum est oris vocolam adjicere. Verum quoque omninò est,
 quod iterum scripsit Chemnitius de fundamentis cœnæ Cap.
 XII. numer. V. §. Nos verò &c. De præsentiā exhibitione & sum-
 ptione corporis & sanguinis Domini in cœnā, tam clarè & magnificè
 sæpe concionantur veteres, ut elementorum quasi obliti, vix aliquid
 de pane & vino videantur agnoscere, ita ut Pontificij inde arripue-
 rint occasionem commenti sui, de transubstantiatione elementorum
 &c. Cætera lector apud ipsum videat. Scythicā verò nive
 frigidius est, quod tu hic ingeris Iohannes; neque enim putandum
 est, quoties de corpore Christi in scriptis Patrum aliquid legitur, in-
 telligendum continuò esse corpus Christi propriè dictum, & ex virgi-
 ne oriundum. Scribant sanè veteres, corpus Christi OS nostrum IN-

Calvin.
 consens.
 cum Ti-
 gurin.

TRARE (& quid amplius desideremus Johannes?) & ORE
 nostro MANDVCARI. *Vt Augustinus epistol. CXIIX. Placuit*
Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti (allinis tu; id est,
sacri signi, panis eucharistiæ; quasi sacramentum Augustino nihil
unquam aliud, quàm sacrum signum significaret!) in os Chri-
stiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi, Verum
in talibus per corpus Christi, non corpus Christi propriè dictum, sed
panis eucharistiæ, quem veteres appellatione corporis Christi (et si
Christus minimè dixerit, Hic panis est corpus meum) honora-
tum scribunt, INTELLIGENDVS est, non aliter quàm idem ille
panis eucharistiæ est intelligendus, cum corpus Christi videri,
rangi, frangi, de loco in locum transferri, asservari, in terram
cadere, corpora nostra alere, & id genus alia facere aut pati scri-
bunt: quâ de re abunde dictum est supra in paginâ 79. & sequentibus,
pag. 184; frigidissimum hoc, inquam, quin & veteratorum pla-
nè est. Eadem enim levitate Photinianus neget, Christum in
scripturâ proponi verum Deum, & Dei filium ex substantiâ i-
psius genitum, cultu religioso ab Angelis & hominibus adoran-
dum, causatus videlicet cum Iohanne Vorstio demonstratores;
neque enim putandum esse, quoties de Christo Deo, & Dei filio uni-
genito, ab Angelis & hominibus adorando, in scriptura aliquid le-
gatur, intelligendum CONTINVO esse Deum propriè dictum,
filium unigenitum propriè dictum, adorationem religiosam
propriè dictam, sed verò Deum aliquem analogicum aut ty-
picum, & filium summè dilectum, quales unigeniti esse solent,
& adorationem, hoc est, venerationem aliquam exteriorem
& inferiorem. Dispeream si vel deditâ operâ pro Photiniano
magis quispiam satagere possit, quam pro ijs & hîc & alibi pec
imprudentiam fatigat Iohannes noster Vorstius. Ad locutio-
nes illas Patrum, quod corpus Christi videatur, tangatur, fran-
gatur &c. respondi §. xxiiix. in fine. Frivolum porro iterum est,
quod ad Confessionem meam provocas, ipsum me scilicet
falsum

factum ingenuè esse in pag. 118. libelli mei, Patres aliquando panem corpus Christi vocare. Frivolum est quando pergis: quia faceris, Patres aliquando panem corpus Christi vocare, & per corpus Christi panem intellectum velle: quidni in verbis quoque Augustini quæ modo citavi, & id genus alijs, per corpus Christi nihil aliud, quàm panem eucharistiæ, qui & ipse corpus Christi, sed figuratè dicitur, intelligendum existimare velis? pag. 184. Nec enim quod aliquando, quod subinde fit, semper fit, & in singulis locis juxta circumstantias uniuscujusque, judicium de vocum significatione est faciendum. Atque ita bellè oppugnasti hæcenus illud quod Chemnitius dixerat, affirmativam sententiam de manducatione corporis Christi propriè dicti in sacra cœna, in scriptis Patrum toties repetitam exstare.

XXXV. Iam quod ad negativam attinet, de quâ Chemnitius dicebat, ea hæc est, pergis, quod corpus Christi propriè dictum à διακόντος in sacra cœnâ non adsit, ibidemque ore hominum nec manducetur. Atque hanc ille in scriptis veterum certò, clarè & explicatè ostendi posse negabat. Quod si omninò sic se haberet, non tamen id mirum esset, pag. 184. & audi lector egregiam rationem; quippe non credidere veteres, quenguam tam absurdum fore, ut corpus Christi propriè dictum, ore manducandum esse putet, pag. 185. Nempe Iohannes Vorstius, χθες ἡμεῖς πρὸς τὸν licet enatus, consiliis tamen veterum interfuit, & quoque eâ de re de quâ ipsi prorsus tacent, inanimò quid habuerint non minus exactè novit, quàm si ex ipsorum cerebro ceu altera Minerva esset prognatus. Ostende autem si quid in te viri est Iohannes, absurdum esse, corpus Christi ore comedi. Annon alteri alicui, æquè, imò longè magis absurdum videri possit, Deum Christianorum esse ex muliere natum? esse crucifixum? Vide quantâ incogitantia veritati oblueteris Iohannes! Interea vero pergè loqui. At enim ipsa illa negativa de quâ Chemnitius dicebat, certò, clarè, & explicatè in scriptis veterum quoque exstat, pag. 185. Et repetis

repetis Augustini locum è Comm. in Psal. xcix. *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis &c. de quo loco §. xxx. tibi respondi.* Porro satis etiam dilucida in eam sententiam tibi sunt, quæ Gratianus de Consecrat. Distinct. 11. c. 76. allegat ex Origene: *De hac hostiâ, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illâ verò (hostiâ) quam Christus in cruce obtulit (id est, ais, de corpore Christi) secundum se edere non licet.* pag. 186. Non dicam jam quàm sit exilis autoritas Origenis in dogmatibus fidei, quamq; conculcent eam, Theodorus Beza apud Andream Rivetum specim. Critici sacri libr. 11. Cap. xii. & ipse ibi Rivetus; ne quidem certò, clarè, & explicatè, sententiam negativam hîc habet Origenes ille, cum verba, *secundum se edere non licet*, ambigua sint, & eo sensu accipi possint, quod de hostiâ in cruce oblata immediatè & sensibilibiter edere nobis nunc non detur. Et possum insuper Origenem opponere Origeni. Tomo 2. edit. Basil. 1571. Homilia 5. ubi agit de Centurione, ejusque puero paralytico: *Sed & hoc nullum nostrum pertranseat, sicut pusillum aliquid, quod dixit iste Centurio: Non sum dignus, ut sub tectum meum intres. Intrat & nunc Dominus sub tectum credentium, duplici figurâ vel more. Nunc enim quando sancti & Deo acceptabiles ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur, & tu sic existimes, tanquam Dominum suscipiens. Et aliud, quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo fruëris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et hic ergò humilians re-met ipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito; Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti. Post allata Origenis verba, illam de quâ Chemnitius dicebat, negationem satis liquido putas intelligi posse ex his, quæ autor operis imperfecti in Matthæum Homil. XI. scripsit: Si ergo hæc vasa sanctificata (sanctas patinas, addis tu, & sanctos calices) ad privatos usus transferre sic periculosum est,*

in

in quibus (vasis) non verum corpus Christi, sed mysterium (id est, addisiterum, sacramentum seu sacrum signum) corporis ejus continetur: quanto magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum dare Diabolo agendi in eis quod vult? *Hic tibi manifestè dicitur: in sanctis vasis non verum corpus Christi, sed mysterium, id est sacramentum seu sacrum signum corporis Christi contineri.* pag. 187. Sed responsum jam dedit ipse Chemnitius, libro de fundamentis Cœnæ cap. xii. numer. v. in fine. Postquam enim ibi dixisset, adversarios in totâ antiquitate non posse certò, clarè, & explicatè ostendere suam illam negativam, Quod verum Christi corpus non adfit in cænâ, & quod salva veritate corporis, non posset simul in cælo, & in sacrâ cænâ esse, continuò subjungit; Petrus Martyr solet allegare sententiam Chrysostomi in S. Matthæum, in Opere imperfecto: *In sanctis vasis non esse verum corpus Christi, sed tantum mysterium ejus contineri.* Sed opus illud non est Chrysostomi, & in eo multas non sanas sententias Erasmus (in Præfatione) observavit. Et sententia illa non loquitur de Cænâ Domini (nota Iohannes) sed de sacratis vasis Veteris Testamenti, quæ Balthasar Daniel. s. profanavit. Quin imo, Chemnitium isthoc modo ad verba à te producta respondisse, libelli mei, pag. 114. indicaveram ego, quod tu dissimulasti. Et certe verba integra (nam tu Iohannes vel alienâ fide, vel oscitanter ea allegasti) ita habent: *Si enim vasa sanctificata ad privatos usus transferre peccatum est & periculum, sicut nos docet Balthasar, qui bibens in calicibus sacratis, de regno depositus est & de vitâ. Si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, IN quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur, quanto magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum dare Diabolo agendi in eis quod vult?* Ex his ita integrè productis, apparet, de qualibus vasis sanctificatis, autori huic sit sermo. Nec silentio prætereundum, in editione latinâ tam Parisiensi, quàm Venerâ, ad ista verba, *in quibus non est verum corpus Christi, sed my-*

Q

sterium

sterium corporis ejus continetur, in margine ita annotari; *hæc in quibusdam exemplaribus desunt.* Quod te, qui tres omnino in Bibliotheca Serenissimi Electoris Brandenburgensis codices inspicere soles, non potuit latere. Nisi forte criticum volueris agere, & verba quæ contextus ibi excludit, etiam illo invito rescribere. Certe ad rem nihil faciunt illa verba, nec cum antecedentibus conveniunt, in quibus, ut apertum est, autor homiliæ loquitur de vasis sacris templi Salomonis, quæ Balthasar rex transtulit ad profanum usum, & propterea regnum & vitam perdidit. In illis autem vasis, non solum non erat verum corpus Domini, sed nec mysterium ejus sicut tu vis mi Iohannes. Tandem tibi *huc ea quoque veterum loca videntur pertinere, quibus dicunt, Christum non ore, sed fide, non foris, sed intus manducari.* Sed ad hanc quoque ratiunculam responsum jam à me est §. XXIX. ad argumentum tuum secundum. Allegas autem hæc verba Hieronymi, Commentario in Cap. LXVI. Esaiæ: *Omnes voluptatis magis amatores, quam amatores Dei, non comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem ejus de quo loquitur, Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: qui non foris, sed in domo una & intus comeditur. Et tum addis; *Ait ille, malos non comedere carnem Iesu, nec bibere sanguinem ejus.* & causam addit, quia Christus non foris, id est, ore, sed intus, id est corde & fide comedatur. Pari ratione Augustinus Tractat. XXVI. in Iob. Qui manducat intus, non (qui manducat) foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. Vocabulo foris, membra corporis externa denotare solent: vocabulo intus autem, cor & mentem. Cui probando alia veterum loca citata sunt in Capite XIX. libr. II. Dissertation. sacrarum. Volunt igitur illi corpus Christi non instrumento corporis, ore; sed TANTVM mente & fide comedi POSSE. Alia ejus generis invenies in Capite XIX. libr. II. dissertationum sacrarum quem dixi. pag. 187. 188. Quod ad hunc Hieronymi locum attinet, Iohannes, minime ille certo, clarè, & explicatè ut Chemnitius flagitabat, negat, malos ore comedere car-

neris

nem Christi. Potest ille quàm optimè intelligi negare comestio-
nem carnis Christi salutarem à malis fieri, idque eò minus tibi
debet displicere, quod Hieronymus ibi alleget verba Cap. vi.
Iohannis, *qui comedit carnem meam, &c. habet vitam aeternam*, qua
tu de manducatione spiritali & salutari, solis piis proprià ac-
cipienda esse, superius tantoperè contendisti. Atque ita quan-
do Hieronymus porrò ait, *Christum non foris, sed intus comedi* a-
ptissimè ille intelligetur id dicere, non comedi Christum saluta-
riter, comestione quæ per membra corporis fiat, nisi fides cor-
dis interiorius, ad illam comestionem quæ foris fit, accedat. Quod
nos ipsi ita se omninò habere, fatemur. De eadem quoque
salutari manducatione rectè accipientur allegata abs te verba
Augustini. De Capite xix. libr. ii. Dissertation. tuarum, su-
pra §. xxix. ad argument. tuum secundum egi, & monstravi,
quàm ibi fueris gnaviter impudens, qui exclusivam tantum,
non erubueris verbis veterum in parenthesi infercire, cum in
illis ipsis eam reperire non potuisses. Cui impudentiæ colo-
phonem hîc voluisti imponere, quando audacissimè, sed ta-
men & falsissimè scribis, *veteres velle corpus Christi NON in-*
strumento corporis, ORE, sed TANTVM mente & fide comedi
POSSE. Ostende verò vel unicum veterum Iohannes, qui ita
simpliciter scripserit, *ore corpus Christi comedi non POSSE.*

XXXVI. Superest unum de quo ego libelli mei pag.
126. dixeram, *expectare me solidam eruditiorum informationem.*
Erat autem hoc ipsum, quod veteres magno consensu in sacrâ
cœnâ ingens aliquod, imò *μυστήριον*, hoc est, *tremendum mysteri-*
um agnoverint. At, si cum Calvinî discipulis persuasi fuissent,
totam rationem sacræ cœnæ absolvi eo, ut panis comestus ex-
istimetur esse merum symbolum, figura ac memoriale mor-
tis Christi, corpore interim Christi propriè dicto tam longo
intervallo à cœnâ absente, quanto abest cœlum à terrâ, nec ni-
si per fidem *ἐξ οὐρανόθεν* quærendo & apprehendendo, nihil hîc
μυστήριον, nihil planè mysterij hîc remanere, nihil huius à me

Q^a

qui.

quidem apprehendi posse. Ad hæc tu sic ora resolvis: Scio me inter eruditiores numerari non posse, sed experiar tamen, an non SOLIDAM quam expectas informationem, prestare tibi possim. Quod benè vortat, ego auscultabo. Quod veteres in sacra cænà mysterium *φειρόν* tremendum, statuerunt, hinc suspicio te subijt, veteres ipsum propriè dictum corpus & sanguinem Christi in sacra cænà à diaconis adesse, atque ore hominum edi & bibi statuiffe. Verum causa ejus rei minimè quidem hæc est. pag. 189. Quænam igitur demum ejus rei causa erit, Iohannes? tu enim nullam attulisti, & sic lethalem infixam lateri arundinem hædere permisisti. Perge tamen fermocinari. Quod non rectius intelligere poteris, quàm si consideres, quod baptismum quoque & varia alia, *φειρόν* & *φοβερόν*, tremenda & timenda vocarunt. Chrysostomus in illud, simile est regnum cælorum: cum propè accesseritis ad tremendam juxta & desiderabilem piscinam. Idem Homil. XL in priorem ad Cor: Post enunciationem mysticorum illorum & *φοβερόν* timendorum verborum, & τὰς *φειρόν* & tremendos Canones dogmatum è cælo delatorum. Clerus Ecclesiæ Apameensis in Epistolâ quæ legitur Actione quintâ Concilij sub Mennâ: sancto & terribili tempore illuminationis, id est, baptismi. Chrysostomus rursus Homiliâ XXI I. in Epist. ad Ephes. horrenda & tremenda mysteria, multum profunditatis habentia. Sic ille de Paschate legali loquitur. Et in Homiliâ XX in posteriorem ad Corinthios, homines pauperes altare & corpus Christi vocat, quod *φειρόν* & *φοβερόν* magis tremendum sit, quàm illud altare in quo panis & vinum eucharistiæ ponuntur. Hoc altare inquit ex ipsis Christi membris constitutum est, & corpus Domini (sic pauperes appellat) sit tibi altare. Ipsum hoc (altare) reverere. In carne (homine paupere) victimam Domini immolas. Hoc altare (homo pauper) *φειρόν* & *φοβερόν*, magis tremendum est non modo quàm altare vetus, (in Vet. Test.) verum etiâ quàm altare illud quod nunc est (in quo panis & vinum eucharistiæ ponuntur.) pag. 190. Et postquâ ista omnia attulisses, ita ex iis contrâ me infers: Quoniam igitur vides, veteres baptismum quoque, agnum Paschalem, altaria, ipsosque

pios

pios & sanctos homines $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\varsigma$ & $\phi\epsilon\iota\kappa\acute{\alpha}\delta\epsilon\upsilon\varsigma$ appellare; non est quod mireris, in S. Cœnâ quoque veteres $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\nu$ π , tremendum aliquid statuisse. Et quomodo ex hoc, quod baptismum aliasque res sanctas $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\varsigma$ & $\phi\epsilon\iota\kappa\acute{\alpha}\delta\epsilon\upsilon\varsigma$ appellarunt, colligi non potest, quod illi $\alpha\delta\iota\alpha\kappa\tau\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$ ad junctum atque unitum corpus & sanguinem Christi statuerint, ita nec ex eo, quod in sacrâ cœnâ $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\nu$ π statuerunt, simile quid colligere licet, pag. 191. Verum mi Iohannes, nec argumentum meum proponis modo quo ego illud proposueram, & nervum ejus ne tangis quidem, tantum abest ut illum incidas. Negativè ego, & ita eram argumentatus: Si veteres cum Calvinî discipulis persuasi fuissent, totam rationem sacræ cœnæ eo absolvi, ut panis comestus existimeretur esse merum symbolum, figura & memoriale corporis Christi, ipso interim corpore Christi tam longo intervallo à sacra cœna absente, quanto abest cœlum à terrâ, nec nisi per fidem $\vartheta\epsilon\omicron\lambda\omicron\upsilon\beta\alpha\tau\iota\kappa\eta$ quærendo & apprehendendo, tum nihil MYSTERII, nedum $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\varsigma$ $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\epsilon\iota\varsigma$ veteres illi hîc potuissent statuere. Statuerunt autem hîc omninò ingens aliquid, imò $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\nu$ planè mysterium, Ergò in hoc ipso negotio non senserunt paria cum Calvino & cum discipulis Calvinî. Ad hanc collectionem tibi respondendum fuisset, quod facere non potuisti. Exempla abs te adducta, in quibus veteres aliquid $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\varsigma$ agnoscant, reverâ aliquid magni mysterij vel habent (quod de baptismo est apertissimum, qui est lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum sanctum, quo peccata abluuntur, quique nos salvat 1. Pet. III, 21.) vel certo modo respiciunt. Quanquam etiam, in exemplo pauperum, è Chrysostomo abs te allato, etsi $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\varsigma$ aliquid agnoscit sanctus ille, non tamen $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\epsilon\iota\varsigma$ $\phi\epsilon\iota\kappa\tau\acute{o}\varsigma$, mysterij mentionem facit. At in doctrina Reformatorum de sacrâ cœna, prorsus nihil arcani, nihil mysterij aut abstrusi continetur. Possemus nos nobis instituere, ut panis semper significet corpus Christi, ita ut quoties comedimus panem, toties in memoriam revocemus, Christum pro nobis factum esse carnem, ait ipse Marcus Antonius libr. v. de republ. Ecclesiastic. cap. vi. Appen-

dic. ad Ambros. §. 4. Et hoc uno tamen, quod Marcus Antonius *nos nobis* ipsos instituire posse dicebat, circumscribitur tota Reformatorum de sacra Coena doctrina, si quidem verborum ampullas quas hic projicere amant, removeas. At quanto majore plectro mysterium in sacra Coena concinebat magister Calvinus, Instit. libr. IV. Cap. XVI. §. 7. *quantum cogitando animus plus valet, quam lingua exprimendo, rei tamen magnitudine ille quoque vincitur & obruitur.* Itaque nihil demum restat, nisi ut in ejus mysterij admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest. Hæc Calvinus, magnificè omnino, & ad veterum mentem rectè. Quamvis, magna jactans mysteria, magnum nobis relinquat inane. Sublato enim postea omni mysterio & miraculo, fide nos ad Christum in celos usque evehi & ascendere, ac solo spiritu nos ei coniungi, longè remotâ ejus in his terris præsentia & orali comestione, dicitur. Nihil hic grandioris mysterij, nihil magnoperè admirandum & incredibile, nihil quod sublimius sit quam ut comprehendì queat. Videmus itaque quorsum tendat, & quid secum vehat negatio manducationis oralis; verba sunt Iohannis Fabricii, Theologi Norimbergensis, egregiâ eruditione, pietate & modestiâ præstantis, amici nostri honorandi. Annotationibus doctissimis ad Homilias suas super Aug. Conf. ad art. X. Mysterium ergo illud ingens, quod veteres in sacra Coenâ agnoscunt, & Calvinus tantoperè deprædicabat, tu Iohannes, in novâ illâ Helveticogallicanâ de præsentia Corp. & sang. Christi in Coenâ, quam à nobis & veritate cælesti transfuga factus, nunc propugnare laboras doctrinâ, ostende nobis, si potes, & præstiteris quod ego ab eruditioribus tuæ sectæ flagitavi. Nullius momenti est, quod in calce mones, videri tibi vocabula *εστικόν* & *εστικόν* cum de rebus sacris usurpentur, rectius verti Latinis, honorandum, reverendum, venerandum, quam alteris illis horrendum, tremendum. Ut adèd *εστικόν* *μυστήρια* quæ veteribus dicantur, sint mysteria seu sacramenta veneranda. pag. ult. Quid tibi videatur tantum, Lutherianis tuis non magnoperè curæ est, præsertim cum nec exemplum significationis *τῷ εστικόν*, quam tu ei dare velles, ullum ausus sis proferre. Et sive tremendum, sive venerandum dicas mysterium, in vestra quidem sive coenâ, sive *ἀποκλασθῆναι* nihil vel tremendi vel venerandi mysterii super sit, tu certè id ne aggressus quidem sis ostendere. Vale longum mi bone demonstrator, & in tempore respice.

MENDA PRÆCIPUA.

Pag. 8. lin. 2. tantū nō minū 9. l. 2 3 aliquid. P. 12. l. 18. dā jugē 9. P. 34. l. 7. a. P. 35. l. 8. 9. oppetisse. P. 40. l. 10. 53. l. 12. verba à v. 53. P. 42. l. 2 5. mille & viginti. P. 54. l. 24. reū. P. 61. l. 26. dari. P. 62. l. 2 5. anguis. p. 64. l. 12. sit. P. 65. l. 11. καὶ συν-
αίμα. p. 68. l. 11. d. p. 70. l. pen. cor 9. P. 80. l. 2 6. ἐπεὶ ἐστὶν αἰών. p. 86. l. 10. En re.
p. 89. l. 16. xxii. p. 94. l. 18. præsentē, qui ē c. xvi. l. 111 de D. C. de promptus est. P. 96.
l. 2. Virū. l. 12. xxiv. p. 99. l. 3. 4. demonstr. Minut. reliqua B. L. facili operâ emendabit.

99 A 6986

ULB Halle
002 826 542

3



f

Sh

VJ 17

Rehov



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

I TITII,

ET PROF. IN
MSTAD.

IVATIO

NSI

VORSTII

D L Æ

ORI

A.

tionem corporis & be-

at; an videlicet hanc ita fie-

em sit necessarium? JOHAN-

excitatur; tum argumenta po-

n corporis Christi manducatio-

tionem contorserat, & ex eâ de-

at, refelluntur, simul et-

ab ejus cavillatio-

ue.

VIRVM

IELMANNVM

ECKEN.

D II,

CALIXTINO

LERVS, Acad. Typ.

V.